

1671.

1. Beermannus, Joh. Christoph : De quarte monarchia.
- 2^a Rhebus, Joh. Fredericus : De judiciis possessoriis
- 3^a Rhebus, Joh. Fredericus : De jure necessariae defensionis.
- 4^a Rhebus, Joh. Fredericus : De jure portuum.
5. Rhoden, Marcus : De jure belli.
6. Styrkius, Samuel : De pactis successoriis communi
justitia.
- 7^a Styrkius, Samuel : De jure reverentia
8. Styrkius, Samuel : De jure pontium.
9. Styrkius, Samuel : De jure cogitationum.
10. Styrkius, Samuel : De jure oblivionis
- 11^a Styrkius, Samuel : De jure testandi inter liberos
2 Exempl 1671:1683.
12. Wolff, Philippus Ludovicus : De demeritatione titis



1.
 2.
 3.
 4.
 5.
 6.
 7.
 8.
 9.
 10.
 11.
 12.
 13.



INDEXIC 1671
DISSERTATIO

DE

QVARTA MONARCHIA,

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,

Mag. et Doct. Publici, Ordini, & Facult.

Philos. & LEGARUM,

In Academia Francofurtana

Disputandum pro

GODOPREDO KECKERBART

Gedānenfis,

At d. IX. Julii An. M. DCLXXXI,

in Locis Publicis

Mag. Quatuor prioribus correctior.

Sempiternus Jussu & auctoritate JOH. BREYER

Mag. et Doct. Publici

Dist. VIII.





Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA
DE

JURE COGI-
TATIONUM

Quam
AUTORITATE MAGNIFICI JCTO-
RUM ORDINIS.

In
ILLUSTRI ACADEMIA VIADRINA
PRÆSIDE

DN. SAMUELE STRYKIO,
J.U.D. INSTIT. IMPER. PROFESS. P. ORDIN.

DN. Patrono ac Præceptore suo omni observantiæ
cultu ætatem devenerando,

IN AUDITORIO JCTORUM

Ad Diem Novemb. A. O. R. M. DC. LXXI.
HORIS SOLITIS.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICIT
ALEXANDER Stein/ Brunsvicensis.

Francofurti ad Viadrum
Literis JOHANNIS ERNESTI. Acad. Typogr.

7

13

1671, 9

11

16

11 1/2



Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA

JURIS
COGITATIONUM

AVTHORITATE MAGNIFICI JOTO-
RUM ORDINIS

IBIDEM ACADEMIAE VINDOBONENSIS
PRÆSIDI

DR. SAMUELIS STRYKIO

MD. CCLXXIII. IMPER. PROFESS. P. ORDINIS

IN AUDITORIO JOTO-
RUM

AVTHORIS A. O. R. M. DC. LXXIII.

AL. ALEXANDER
ERUDITIONIS DISCIPLINAE SUBJICIT

FRANCOFURTI AD M. A. M.
LIEB. JOHANNIS ERNESTI ACAD. TYPOG.





SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DN. RUDOLPHO
AUGUSTO,

DUCI

BRUNSVICENSIVM ET LUNEBURGEN-
SIVM INCLYTO,

*PATRIÆ PATRI PIO, FELICI, PACIFICO,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*

HX quo Augusto Nomini
Tuo Patria cessit Brunsviga, & Cle-
mentiā Tuæ locum magis facere,
quam severitati prudenter ausa
est; non se modo totam Tibi devovit submissa,
sed & omnia sua certatim Tibi deberi, ambitio-
se profitetur. Hinc non in ipsa saltem civitate
nova indies Tibi nascuntur obsequia, & ad Cle-
mentiam expositam prona concurrunt, sed eti-
am exteræ discunt provinciā, quid Tui Cives
A 2 Sereni-

12
Serenitati Tuæ subjiçiant devotionis, quid gra-
tulentur. Me quidem, SERENISSIME PRIN-
CEPS, quem ad parendi Tibi gloriam quoque
servarunt Superi, eadem occupavit pietas, & re-
ligiosè Tibi, sed tacitè ad volutus, venerari protin-
us sanctum Tuum Fastigium, Eidemque per-
ennantis imperii non interrupta vota concipe-
re sustinui. Natæ posthæc COGITATIONES,
quæ dū in chartas erupissent, & ipsæ properandū
sibi ad Tuam Gratiā sponte statim cogirarunt.
Ita ad Clementiam Tuam vilia quoq; ad repere
& adorare Numen Tuum, quasi jure suo, hoc est,
subjectionis nituntur. Suscipe ergo, CLEMEN-
TISSIMÆ PRINCEPS Deorū more obsequium
humillimum: idque eā quam in TE admira-
tur orbis, quam exemplo piè suspicit Patria, quā-
que suspirant ad invidiam surgentes aliæ, Cle-
mentiā. Sic TE DEUS conservet, Orbis Delici-
um, Principum Exemplum, Seculi Imitamen-
tum, patriæ denique Patrem Optimum Maxu-
mum! Servet TE Augustum.

Serenissima Celsitudinis Tuæ

Subjectissimus & Humillimus
Cliens

Alexander Stein Brunsvicensis.

DISSERTATIO
DE
JURE COGITATIONUM.

FELICITER!

Multum ad rem pertinere, qua cogitatione negotium suscipias, in proptulo est. Non ubi vis voto responderet eventus; Sapius optimo suscepta consilio, iniqua sortiuntur fata, ac spem fallunt penitus. Ubi verò impetu magis quàm consilio negotia geruntur, secundos successus, & eventum ultra votum, feliciorum advertere inversa alea licebit. Verùm si ad justitiae regulas examinanda actio, qua cogitatione, quo proposito quidvis susceperis, magis aestimabitur. Non virtuti hic erit pessima animi intentione instructo, felici successu expediisse scelus: Sed nec vitio erit illi, qui virtutis ductu laudandoque animi proposito honestum suscepit negotium, si eventum res nasti sequiorem. Non quidem prudentis est, dicere; non cogitaram; quippe, in omnes eventus prae parandus animus, & quicquid fieri potest, quasi futurum cogitandum erat. Verum eventus extra potestatem hominis est; intentio verò ac propositum ipsius potestati saltem subjacent. Animum itaque & Jcti considerant, quoties justitia civilibus negotiis applicanda. Quod enim optimè suo loco monuit Seneca; Non esse in rebus vitium, sed in animo; id merito in Civilibus actionibus aestimandum venit, malà scilicet an bona cogitatione orsus fuerit negotium & expedierit. Nemo de-

A 3

mo de-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

mo delinquere censendus, quide delicto non cogitavit antea: Omnis enim sceleris principium in animo est. Si hoc, nec animus, nec cogitatio est extra Juris considerationem, quippe iniqua in delictum foret animadversio, si citra cogitationis & intentionis respectum, pœna diceretur. Libuit ergo præsentî Dissertatione publico examini exhibere illa, quæ de cogitationibus tam in Juramentis, quam in Contractibus ac delictis, observatu digna videbantur. DEUS has de cogitationibus Cogitationes secundas esse jubeat!

CAPUT I.

DE

Jure Cogitationum in genere.

SUMMARIA.

C ogitatio in jure interdum pro mente humana capitur. n. 1.	Motus mentis subitanei, quare hic excludantur? n. 11.
Interdum pro deliberatione mentis. n. 2.	In motibus animi primo primis nihil voluntarii inest. n. 12.
Item pro proposito, facto declarato. n. 3. seq.	Quinam sint motus secundo primi? n. 13.
Equipollet animo. n. 3.	In his inest aliqua voluntas. n. 14 & 16.
Capitur etiam pro actu interiori, verbis declarato. n. 6.	Quanam Moralibus delectatio morosa? n. 15.
Ut & pro actu merè interno. n. 7.	Motus primi ad Theologorum considerationem perveniunt. n. 17.
Item pro primo animi motu. n. 8. seqq.	Quibus gradibus Cogitationes au-
Cogitationis descriptio. n. 10.	geantur

CAP. I. DE JURE COGITAT. IN GENERE.

<p>geantur in homine & presciantur? n. 18.</p> <p>Actus voluntatis elicitii hic Cogitationum nomine veniunt. n. 19.</p> <p>Quinam actus imperati. n. 20.</p> <p>Quam ratione Jcti circa cogitationes versentur? n. 21. seq.</p> <p>An Jus Civile ad cogitationes se extendat. n. 23.</p> <p>Leges saltem externam obedientiam requirere, aliqui statuunt. n. 24.</p> <p>De Cogitationibus ferri Leges non opus est. n. 26.</p>	<p>Prohibitio indirecta etiam ad cogitationes se extendit. n. 27. & seqq.</p> <p>An homo cogitationes suas Legibus Civilibus conformare teneatur? n. 29.</p> <p>Distinguitur inter obligationem ad culpam & ad poenam. n. 30.</p> <p>Exemplo declaratur. n. 31.</p> <p>Lex Civilis praeceptiva in Conscientia obligat, & hinc etiam cogitationes dirigit. n. 32.</p> <p>Quale imperium habeant Leges ipsas cogitationes. n. 33.</p>
--	---

Cogitationis vocabulum, quâ significatione in jure Romano capiatur, prolixâ explicatione non indiget; quippe non dissimili, quam quâ communiter, ratione hic supponitur, & iisdem in Jure æquivocationibus obnoxium. Præcipuos hic tangere lubet significatus, non quidem præcisè oppositos, attamen pro diversitate materiæ substratæ diversos. Nam (1.) idem quod mens humana denotat, quo sensu optime Ulpianus dicit; Non vituperandam esse verecundam ejus cogitationem, qui lites execratur *L. item si 4. §. 1. in fin. ff. d. alien. jud. mut.* Hinc mens & cogitatio sibi junguntur in *L. 3. §. 1. ff. de Acquir. poss.* (2.) Capitur etiam pro deliberatione mentis, quo sensu in *L. si mulier. 25 C. de jur. dot.* dicitur, quod cogitatio ordinationis testamenti, mortis antecedens tempus significet. Unde & *Seneca Epist. 93. Cogitanda, inquit sunt omnia, & animus adversus futura mala præparandus*, Et in hac significatione frequentata Jctis formula est; Ego de hoc cogitabam; vel hoc cogitandum relinquo. Quorsum & Germano.

DSSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- Germanorum illud pertinet: Ich bitte mir seine Gedan-
3. den hierüber zu eröffnen (3.) Propositum faciendi vel delin-
quendi factu aliquo declaratum involvit; quo sensu Leo
Imper. in *L. presenti 6. C. de bis qui ad Eccles. confug.* in illos,
qui nudà saltem cogitatione aut contractu ausi fuerint tentare,
quo ab Ecclesia, qui ad eam confugerint, extrahantur,
4. poenam capitalem statuit: Cogitatio enim nuda hic non
pro actu interiori simpliciter capitur, sed pro tali proposito,
quod certis indiciis exterioribus jam tum declaratum,
hoc enim ex adjecto vocabulo declarativo apparet, quando
dicitur: *nuda cogitatione atq; contractu*: vel uti Gregorius
Haloander in sua editione Cod. legit, *nuda cogitatione atq;
tractatu* i. e. si jam cum alio super hoc negotio mente
proposito tractaverit, quem sensum particula copulativa
atq; involvit. Eadem ratione, qui de nece virorum illustrium
cogitaverint, Majestatis rei dicuntur, *L. quisquis 5. C. ad L. Jul. Maj.* Et hoc significatu æquipollet animo &
& affectui. Hinc animo acquirere dicitur totius fundi
possessionem, qui partem ejus introiverit hac mente & cogitatione,
quasi totum fundum velit possidere *L. 3. §. 1. ff. de acquir. possess.* Et bonæ fidei possessor dicitur cogitatione
6. Domini possidere *L. 21. in med. C. d. furt. (4.)* Capitur
pro actu animi interiori verbis declarato; Qua ratione
donatio mortis causa esse dicitur, si quis sola cogitatione
mortalitatis donaverit *L. 2. vers. unam ff. de donat. mort. caus. L. 31. §. 2. vers. Rursus. ff. eod.* vel cui ex humana sorte mortis
cogitatio est. *L. 35. §. 4. ff. d. t.* & è contrario, donatio inter
vivos dicitur, quæ sine ulla facta est mortis cogitatione. *§. Alia autem 2. l. de donat.* de quo pluribus dicendum *cap. 4.*
Et sic cogitare de aliquo est idem, quod mentionem alicujus
7. facere, quorsum refero *L. 7. C. d. Repud. ibi si de nuptiis cogitaveris.*

CAP. I. DE JURE COGITATIONIS IN GENERE.

cogitaverit. (5.) Accipitur cogitatio pro quovis actu mentis interiori verbis vel signis non declarato, quorsum refero textum in *L. Cogitationis 18. ff. de pacu.* Demum (6.) Cogitatio capitur strictissimè, pro motu mentis interiori subitaneo, quo certum negotium intellectui offertur, citra tamen intellectus approbationem & persecutionem. Hoc modo nemo nec à malis cogitationibus immunis est, cum & inter pietatis officia perversa sæpius homines vexent cogitationes. Non tamen, qui pius est, approbat easdem, sed reprobatur potius; nec insistit iisdem, sed coercet animum, ac ad alia pietati convenientiora revocat. Et hoc fortè sensu Cogitationem ab affectu juridicè accepto distinguit *Tbesaur. Quest. forens. Libr. 2. Q. 25. n. 1.*

Exinde jam, quo sensu nobis cogitatio tractanda & supponenda veniat, haud difficulter cõstabit; scilicet quinto potissimum modo, quanquam ceteros non penitus excludamus. Hinc Cogitationem describo, quod sit *actus mentis interior, quo negotium oblatum cognoscit, eidemq; contemplando ulterius inhaeret, accedente postea voluntatis intentione a celeratione.* Hac ipsa ergo descriptione excludimus motus mentis subitaneos ac improvisos, non quod hi Cogitationum nomine non veniant, sed quia in potestate hominis non sunt, & hinc nec moralem, multò minus juridicam considerationem merentur. Hi motus enim omnem voluntatis deliberationem anteverunt, & proinde prohiberi nequeunt. *Vid. Joseph. Gibelin. in Tract. noviss. de Scientia Canonica. & Hieropolit Tom. 3. libr. 8. cap. 2. Princip. 2. quest. 4. n. 2.* Et huc querela Augustini *l. 7. Confess. c. 1.* spectat: *Non est in potestate nostra cor nostrum, & nostra cogitationes, que improvise affusa, mentem animumq;*

B
confusa-

DISSERTAT.. DE JURE COGITATIONUM.

12. confundunt atq; aliò trahunt, quam sibi preposuerit. Atque hi sunt motus illi Moralists primò primi dièti, in quibus nihil voluntarium inest: Voluntarium enim necessarium est cum cogitatione rei; atqui tales motus rationem præveniunt: Quæ enim subito in sensu incurrunt, repente in imaginationem irrepunt & influunt, adeò ut citius in eam illabantur, quam ratio possit advertere, & præcavere. *Johann. Azor. Inst. Moral. Tom. 1. lib. 4. cap. 5. in med.* Unde ejusmodi motus absque imperio intellectus, aut apprehensione appetitus fieri dicuntur. *Vid. Defensor Pacis sive Mar. sil. Patavin. in Legislatore Romano. de Jurisd. Pontif. & Imperat. cap. 7. pr. p. m. 165.* Et huc pertinet, quod *Bald. ad L. si quis non dicam 5. n. 3. C. de Episc. & Cler. habet*; quod cogitandi motus non sint in potestate nostra. Nec præcisè comprehesos volomotus secundo primos, qui quidè plenam mentis deliberationem antevvertunt, sed aliquantulum tamen rationis usum consequuntur, quo efficitur, ut præcaveri ac
14. repelli queant. *Azor. d. c. 5. §. Communi sanè.* Et talis Cogitatio delectationem morosam inducit, quo nomine Moralista complacentiam ex cogitationibus oriundam, sine tamen voluntate exequendi, denotast. *Steph. à S. Paul. Theol. moral. Tract. 1. Disp. 4. Dub. 7. n. 43.* quanquam hæc ab aliis extendatur ulterius. *Vid. prolixè Stephan. Fagundes de Just. & jur. Tom. 2. libr. 9. cap. 1. per tot. Azor. d. l. 4. c. 6.* Quæ ipsa cogitatio aliquid voluntarii continet; Penitior enim illa objecti cogniti investigatio, & in ea cogitatione veluti defixio, imperari potest à voluntate *Gibalin. d. 2. 4. n. 3.*
16. Verum cum ad hæc ipsa nulla adhuc dum consultatio intellectus, cum intentione ac Electione accedat, voluntaria potius in genere, seu spontanea hæc cogitatio dicenda; sponte enim sunt, quæ ex sola sunt cupiditate *Georg. Ca- lixt.*

CAP. I. DE JURE COGITATION. IN GENERE.

lxt. Epitom. Theol. Moral. P. 1. p. 36. De his ergo motibus 17.
primò primis & secundò primis cum non ad Jctos sed
Theologos eorum consideratio pertineat, monente *Dn.*
Caspar. Zieglero in erudita. Dissert. de Baptismat. non iterand.
ibef. 5. nec nos acturi sumus; hinc ea ratione formavimus
descriptionem, quo illos motus à tractatione nostra exclu-
deremus. Ita enim nobis describenda fuit cogitatio, prout
consideranda.

Dictum verò est in descriptione, quod ita mens cogi-
tationibus inhæreat, ut simul voluntatis intentio ac electio
accedat. Et hic tertius Cogitationum gradus est. Cogita-
tio enim (1.) in simplici apprehensione subsistit. (2.) Appre-
hensio illa adjunctum habet aliquem inclinationis motum
ad consensum (3.) sequitur plena approbatio & consensus
Guilielm. Ames. de Conscient. lib. 3. cap. 20. Q. 2. Quæ sequen-
ti modo in mente expediuntur. Quoties cogitatio quæ-
dam mentem subit, primò eidem infixus est animus, dein-
de cogitationes penitus examinat vel consultationi
intellectus subjicit; postea ex illa consultatione cer-
tam intentionem sibi format, qua finem, quem obtinere
desiderat, sibi proponit. Huic postmodum electio suffraga-
tur, ubi ex illis, quæ intellectus proposuit, mediis ad finem
ducentibus, nostræque potestati subditis, unum eligo, ad a-19.
ctum tamen exteriorem non progredior. His ergo termi-
nis cogitationes inclusas cupio, & ita, ut verbo rem comple-
ctar, cogitationes capio pro actibus voluntariis elicitis, qua 20.
tenus scilicet prævia deliberatione à voluntate eliciuntur,
nec interventu alterius potentia expediuntur. Quibus
actus imperatos opponunt, qui ab aliis animæ facultatibus,
ut loco motiva, executioni mandantur, de quo vid. Joseph.
Gibalin. in scient. Canon & Hieropol. Tom. 3. lib. 8. Cap. 2. princ.
2. Q. 3. & 4. Georg. Calixt. Theol. mor. p. 39. Dn. Sam. Pufen-
dorff.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- dorff. Element. Jurisprud. lib. 2. Observ. 2. §. 1.* Unde actus imperati etiam alii externi vocantur. *Dn. Job. Paul. Fehwinger. Dissert. Polit. de Legib. tb. 109.* Ita verò cogitationes etiam
21. Jctis considerandæ veniunt, quippe qui omnino actus exteriores ex qualitate actuum interiorum dijudicare debent, quâ cogitatione, quo consilio ac proposito quodvis negotium susceptum; An cogitatio illa directò in hunc finem collimaverit, an non; & ita, an præter intentionem damnum datum, an ex destinata voluntate; Verum cum
22. nostri instituti non sit, circa distinctiones actuum interiorum prolixius occupari, ad moralis Philosophiæ Doctores cupidum Lectorem remitto, præsertim verò ad allegatum *Dn. Pufendorffium*, qui hæc ipsa in Elementis Jurisprudentiæ accuratè satis deducit, & quatenus Juri inserviunt, ad oculum demonstrat. Nos verò potissimum in subsequentibus, quem effectum in foro exteriori cogitationes in tertio gradu consideratæ fortiantur, & quid Jura de ipsis statuunt, exponemus.
23. Antequam verò hoc præstemus, præjudicialis in antecessum enodanda quæstio: An etiam Jus Civile ad cogitationes seu actus animi interiores semet extendat? Ipse
24. *Wesenbec. in Paratitl. ff. d. j. & j. n. 4. in med. asserit*, quod Leges Civiles tantum externam obedientiam loco motivæ, non mentis aut voluntatis, aut cordis *εὐλαξίαν* requirant; partim quod hoc impossibile sit ob naturæ humanæ depravationem; impossibilia verò lege non sint præcipienda: partim quod non pervideri latebræ & inordinati motus a-
25. nimi, eoque nec lege notari possint. Fateor non opus esse ut Legislator civilis de cogitationibus nimium sollicitus sit, quippe legum civilium præcipua cura est, tranquillitatem in Republ. firmare ac stabilire; Jam verò à Cogitationibus,

CAP. I. DE JURE COGITATION IN GENERE.

nibus, quamdiu tales manent, tranquillitati publicæ nul-
lum periculum, hinc nec de illis potestas civilis laborabit.
Dn. Pufendorff. in Element. Jurispr. libr. 1. def. 13. §. 19. At^{26.}
verò nos non quærimus, an opus sit de cogitationibus fer-
re Leges; Nec quærimus, an in potestate Legislatoris sit,
cogitationes factus merè internos prohibere; Hoc n. me-
ritò negamus; Illud quidem, ob rationem à Wesembecio &
Pufendo: ffio allegatam; quanquam tranquillitatem publi-^{27.}
cam finem Legum civilium proximum non dixerim Hoc
verò propterea, quia de cogitationibus judicare nemo po-
test, nec in illas est imperium; Ergo frustranea prohibitio.^{28.}
Andreas à Matre Dei in Theol. moral. Tom 3. de J. & J. Tract.
11. Punct. 5. n. 66. Præsupposita tamen distinctione inter
prohibitionem directam & indirectam: Hæc enim quate-
nus actus interni connexionem cum externis habent, sive
exteriori actu sensû mentis exprimuntur, & exterius ad fi-
nis præpositi executionem diriguntur, omninò valida est:
Nam dum ipsum actum externum lex prohibet, quo actus
internus manifestatur, per indirectum etiam actus interior
prohibetur, *Steph. à S. Paul. Theol. Moral. Tract. 2. Disp. 31*
Dub. 5. n. 36. Andr. à Matre Dei d. Tract. 11. Punct. 5. n. 69. Jo-
bann. Azor. Inst. Moral Tom 1. L. 5. c. 10. §. His constitutis. Le-
onb. Leß. de Just. & Jure lib. 2. cap. 37. dub. 11. n. 66. & quos
magno numero citat Anton. Diana Resolut. moral. Tom 6.
Tract. 3. Resol. 2. in fin. Edit. Lugdun. de Anno 1667.

Sed quæstio à nobis proposita hæc est: An leges, quæ
de negotiis civilibus latæ, ipsas quoque cogitationes strin-^{29.}
gant, ita ut homo ad ductum legum civilium cogitationes
suas ac actus interiores dirigere teneatur? Et hic distin-^{30.}
guimus inter obligationem ad culpam & ad poenam. Homo
quidem Jure Civili quoad actus interiores ad poenam obli-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- gari nequit, quorsum pertinet *L. Cogitationis 18. ff. de poen.*
Interim tamen ad culpam hoc nomine obligabitur. Quam-
31. vis iraque lex civilis nemini poenam irrogare possit, qui testamentum ex dispositione Juris civilis omnibus numeris perfectum impugnare sibi proponit, ac omnibus suis cogitationibus eo propendet, ne quæ à testatore sibi injuncta exequatur: Attamen ob legum dispositionem culpam contrahet, qui spreta Legum Decisione in contrarium animo nititur. Quis enim dubitaret, contemptum Legis Civilis interiorum, etiamsi verbis non exprimitur, peccatum esse, de quo vid. *Anton. Diana Resol. moral. d. Tract. 3. Resol. 56.*
32. Atqui verò contemnit leges, qui contrarias cogitationes suscipit ac quomodo contra leges agat, deliberat. Deinde expeditum apud omnes legem civilem præceptivam circa rem in potestate legislatoris constitutam obligare in conscientia, ipso Apostolo non refragante *Rom. 13. v. 5.* quod thema prolixè persequitur *Dominic. à Soto de Justit. & Jur. l. 1. Quæst. 6. Art. 4. per tot.* Conferatur ex nostratibus *Francic. Balduin. de Casib. Conscient. libr. 4. cap. 15. Gerhard. in loc. Theol. de Magistr. Polit. th. 267. seqq.* Quod si verò in conscientia obligor submittere memet Legibus, omninò ad culpam obligatus ero, talia cogitando, quæ legibus civilibus facere nefas est. Quod enim conscientia ductus jubet, ut facias, id quoque ut cogites jubebit; nam aliud agere aliud cogitare sana ratio non permittit, & inde cogitationes ipsæ semet accusabunt, ac culpæ reas
34. Pronunciabunt, Apostolo teste *Rom. 2. v. 15.* Et inde est, quod leges civiles imperium quoque in cogitationes habere dici possint, non quidem actu physico per poenæ irrogationem; sed actu morali, ut homo, si non obediat, præ-
- pria

CAP. II. DE PROBATIONE COGITATIONUM.

pria conscientia testimonio intelligat se peccare *Dn. Habn. in not. ad Wesembec. tit. de J. & J. n. 4. verb. tantum exterram.*

CAPUT II.
DE
Probatione Cogitationum.

SUMMARI A.

- | | |
|--|---|
| A Non otiosa <i>J</i> Cui circa cogitationes cum? n. 1. | banda n. 14. |
| Cogitationes directo probari non possunt. n. 2. | Quod exemplo declaratur, n. 15. seq. |
| Nec per testes probantur. n. 3. | Judex arbitrari debet, quando juramentum purgatorium deferendum. n. 17. |
| Indirecte cogitatio probatur (1.) propria cogitantis confessione n. 4. | In delictis non creditur juramento, se non fecisse malo animo, n. 19. |
| Confessioni cogitantis si credat iudex, non peccat. n. 5. seq. | (3.) Cogitationes probantur per torturam. n. 20. |
| Interdum tamen aliter cogitationes inquirenda. n. 7. | Declaratur exemplo adulteri, cogitantis adulterium esse solutum. n. 21. sq. |
| (2.) Cogitationes probantur juramento. n. 8. seq. | In tortura delinquentis interrogatio exploranda. n. 24. |
| Modo Causa non sit gravis n. 10. | (4.) Cogitatio probatur ex factis n. 25. |
| Et persona honesta n. 11. | Facta plerumq; animi cogitationem certius probant, quam verba. n. 26. sq. |
| Nec gravibus presumptionibus gravata. n. 12. | |
| Cogitationes in subsidium saltem juramento probantur. n. 13. | |
| Si cogitatio causam externam moventem habuerit, hac prius pro- | |

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

<i>Facta subsequencia probant cogitationes precedentes n. 28.</i>	(S) <i>Cogitationes probantur signa & indicia. n. 34.</i>
<i>Facta precedentia probant cogitationes presentes & futuras. n. 29. sq.</i>	<i>Ex pallore vultus delictum procedente, animus & cogitatio colligitur. n. 35. sq.</i>
<i>Cogitatio per actum in continenti secutum, certius probatur. n. 31.</i>	<i>An alias pallor & mutatio vultus, sit indicium delicti commissi? n. 37. sq.</i>
<i>Cogitatio talis presumitur, qualis est facti executio. n. 32.</i>	<i>Quibus indicia cogitationes probentur, iudicio arbitrio committitur. n. 39.</i>
<i>Quod declaratur. n. 33.</i>	

1. **F**rustanea Jcti circa cogitationes videtur cura: Internorum enim & cordis cogitationum DEUS ipse qui solus *καεδιοννοενς*, soli sibi reservavit cognitionem, *1. Reg. 8. v. 39. Sap. 1. v. 6. Hebr. 4 v. 12. Gloss. in L. Edictum ff. de interrog. in jur. fac.* Hinc de internis nec Ecclesia judicat *c. Tua nos 34. X. de simon.* sed illi relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum *c. consulisti 20. caus. 2. Q. 4.*
2. Otiosum enim de eo iudicium, quod cognoscere non possis. Quapropter antequam de cogitationum effectibus agamus, omnino pretium operæ erit, qua ratione cogitationes in foro exteriori probentur, hoc capite quædam collegisse, quod inde constet, non plane otiosam Jcti de cogitationibus curam esse. Præmittimus verò hic, cogitationes directò probari non posse, ob adductam rationem; quod solus Deus sit
3. Scrutator cordium *Mascard. de probat. Concl. 94. n. 1. Nec per testes probari potest, quod quis in animo habet Alciat. de Præsumpt. pr. 16 Reg. 3. Seraphin. de Seraphin. de privil. juram. priv. 1. n. 2.* Testibus enim non creditur, nisi de eo quod ipsi certò noverint, vel sensibus suis perceperint. Atqui verò cogitationes humanæ objectum tale non sunt, quod ab aliis cognosci, vel sensibus percipi valeat.

Indi

CAP. II. DE PROBATIONE COGITATION.

Indirectæ ergo cogitationum probationes admit- 4.
tendæ erunt; quod quibus modis contingere possit, jam
subjiciendum. Probantur verò (I.) Confessione propria
ipsius cogitantis; Si enim hic exprimat, quid cogitaverit,
acquiescere in eo poterit iudex; nemo enim, quid cogita-
tum, novit rectius, quam Deus & cogitans ipse secundum
Bald. in L. si quis non dicam 5. n. 3. C. de Episc. & Cler. Masc-
card. d. Probat Vol. 1. Concl. 309. n. 1. Et quanquam Iudex 5.
æquè incertus maneat, an confitens id cogitaverit, quod
confitetur, an secus; non tamen peccat, si secundum cogi-
tationes ab ipso expressas decusum ferat. Verbis enim de-
monstratur voluntas dicentis, & nemo existimandus est
dicere, quod non sentiret *L. 7. in fin. ff. de Suppl. leg.* Hinc 6.
confessus ex hac causa pro iudicato habetur, quia quodam-
modo suâ sententiâ damnatur *L. 1. ff. de Confess.* imò hanc
mendacii poenam feret; interrogatus enim à iudice, men-
tiri non debuisset *L. 11. §. 3. ff. de Interr. in jur. fac.* Quod 7.
si majoris præjudicii causam viderit, circumstantias facti
conjungat confessioni, vel juramento torturâve, si neces-
sum fuerit, & facti qualitas admiserit, cogitationum veri-
tatem exploret.

Itaque (II.) probantur cogitationes per juramentum. 8.
Expedita enim apud Doctores Regula est: Ea quæ in ani-
mo consistunt, juramento probari possunt. *Seraphin. de Se-*
raphin. Tract. de Privil. Juram. Pr. 1. n. 3. Andr. Gail. libr. 2.
Observ. 48. n. 30. Hippol. de Marsil. Pract. Crim. §. diligenter
n. 109. Alexand. Tartagn. libr. 4. consl. 127. n. 5. Felin. in c. Si-
gnificasti 16. n. 2. X. de homicid. Carpz. Prax. Crim. P. 2. Q. 56. n.
67. Mascard. de probat. Vol. 1. Concl. 94. n. 4. ubi plures citat.
Ratio ex antea dictis apparet; si enim nudæ confessioni in
iudicio factæ contra confitentem fides habetur *ob L. 1. ff. de*
C
Confess.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

Confess. multò magis id procedet, si sub invocatione nominis divini mentis interiora confessus fuerit. Verum cum non consulum semper sit, cogitationum probationem Juramento alterius committere, cautus hic esse debet Judex, antequam hoc juramentum deferat. Consideranda enim hic (1.) Causæ qualitas, an levis ea sit vel gravis; nam si in causa gravi, vel magni præjudicii versetur, qualis est causa criminalis, & dubium incideret, quo animo, quâ cogitatione commissum delictum, non facillè committenda probatio delinquentis juramento, quippe qui, ut sanguinis periculum evitet, facillè pejerabit. *Vid. Mascard. d. Concl. 94. n. 18. & 31.* (2.) personæ jurantis conditio, an sit honesta, bonæ famæ, an de perjurio suspecta; non enim huic, sed illi deferri potest juramentum. *Seraphin. d. Priv. 1. n. 26. & seqq. Jacob. Menoch. de A. J. Q. libr. 2. cas. 464. n. 12. & seqq.* (3.) Annon graves contra juraturum adsint præsumptiones, quæ ipsum suspectum reddant, ac intentionem ipsius, ac perversas cogitationes prodant, *Mascard. d. d. 13. n. 20.* Subsidiaria enim probatio per juramentum est, *Seraphin. d. Priv. 1. n. 20. Felin. in cap. Significasti. 26. n. 4. X. de homicid.* Quod si verò alia indicia adsint, non opus est huc recurrere, sed potius in criminalibus ad torturam progrediendum, si sponte confiteri nolit, de quo mox dicendum (4.) Attendendum, annon Cogitatio causam extrinsecus præcedentem habuerit, unde eadem exorta; sic enim judex prius de causa illa inquirere necessum habebit, antequam de interiori motu sollicitus sit. Sic, si quis se armis invasum dicat, & ita præ nimio timore (quasi cogitaverit, sibi mortis periculum imminere) se hoc vel illud promississe prætendat; non mox juramento mortis cogitationem committat judex, sed prius de certitudine invasionis aliunde inquireat; cessante enim

CAP. II. DE PROBATIONE COGITATIONUM.

te enim hac causa, effectus quoque seu mortis metus cessa-¹⁶
ret. Hinc bene *Fulv. Pacian. de Probatt. libr. 2. cap. 46. n. 110.*
dicit: Toties ea qua consistunt in animo, juramento probantur, quoties in solo animo intrinsecus versantur: secus verò in illis, qua à causa vel à facto extrinseco producuntur; tunc enim prius constare debet de causa vel facto, postea verò de timore creditur juramento. Ex his itaque ju-¹⁷
dex facillè arbitrari poterit, an & quando per Juramentum exploranda cogitatio. Sic in specie Juramentum purgatorium, quo perinde animi interiora explorantur, non discernat, nisi vel delictum levius & persona de perjurio non suspecta; vel indicia leviora & ad torturam vel territi-
onem non sufficientia *Carpzov. Prax. Crim. Part. 3. §. 116. n. 16.* Quod si verò certum sit, ipsum commisisse delictum,¹⁸
sed E. G. in homicidio, se non animo occidendi fecisse præ-
tendat, non committenda res est juramento, ob præsumptionem qua contra delinquentem militat, dum in delictis dolus præsumitur *L. si non convitii s. C. de injur. §. ibi Dd.* Quoties enim versamur in causa, qua est de genere prohibitorum, ut in delictis, non standum assertioni jurantis, quod illud non fecerit malo animo *Scrappin. Privil. Jur. 1. n. 23.*

(III) Porro itaque cogitationes probantur per Torturam; cum enim, uti jam dictum, securum non semper sit in delictis animi cogitationes Juramento seu tortura spiritali explorare, ob perjurii metum, consultius est, tortura corporali veritatem indagare. Sic si maritus cum uxore aliena consvescat, postea verò ab adulterio se ex hoc capite excuset, quod cogitaverit, foeminam illam fuisse solutam, non nudæ ipsius assertioni fides adhibenda, sed probanda cogitatio. Quomodo verò? Per juramentum sese purgare, & ignorantiam juratò obtinere debere, dicit

C 3

Carpzov.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

22. *Carpzov. Pract. Crim. Q. 61. n. 51.* Sed hoc admitto, vel si semet gefferit adultera pro soluta; vel si de simplici adulterio, seu in casu, ubi pœna corporalis non imminet, quaeratur: Nam in adulterio duplicato, si fortè maritus ad alienam uxorem prolapsus, quam an alicujus uxor sit, non interrogavit, nec illa se pro soluta expressè gessit, minus secutum foret, juramento ipsius committere, an eam solutam cogitaverit: Pœna enim hic imminet ultimi supplicii; Ergo perjurii facilis suspicio; Insuper in re illicita versabatur, ubi
23. contra eum militat præsumptio. Et si in contractibus nemo conditionis illius cum quo contrahit, ignarus esse debet *L. 19. ff. de R. I. cur in delictis mereretur privilegium.* Ergo tutius territioni, seu primo torturæ gradui hoc casu
24. veritas committenda. Pari ratione & causæ quibus quis ad delictum patrandum commorus fuerit, & qua intentione ac cogitatione idem commiserit, per torturam inquiri solent; quod inter alia strictè observandum voluit Carolus V. dum in tortura ante omnia de causâ impulsivâ inquirendum esse disposuit *Const. Crim. Artic. 48. 49. 50. seq.* Hic tamen semper legitima torturæ requisita suppominus.

(IV.) Probantur Cogitationes ex facto subsequente. Animus enim ab operibus operantis dignoscitur, & talis præsumitur, qualem facta demonstrant. *Mascard. de probat. Vol. 1. Concl. 95. n. 1. Cephal. Vol. 1. Consil. 75. n. 3.* Imò voluntas, ac animi cogitatio, facilius ex aliquo facto probatur, quam ex verbis. *Seraphin de Seraphin. de priv. Jurament. Priv. 1. n. 57. Jacob Menoch. lib. 1. præsumpt. Q. 19. n. 2.* quod ratione non caret; Facta enim illa executioni mandamus, quæ prævia cogitatione & animi deliberatione exequi destinavimus. Multa verò verbis exprimi solent, quæ mente non con-

CAP. II. DE PROBATIONE COGITATION.

non concepia vel cogitata. Familiare enim homini vitium
est aliud corde meditari, aliud ore præ se ferre: Ut hinc, 27.
quamvis ex dispositione juris nemo præsumendus sit quic-
quam dicere, quod non prius mente agitaverit, per *L. La-*
beo. 7. §. fin. ff. de suppellect. legat. Menoch. de præsumpt. lib.
1. §. 22. n. 1. Atramen quia in verbis plerumque ambigui-
tas est, dum æquivocè, improprie & abusive loqui solent
homines, *L. non aliter. 69. §. fin. ff. de legat. 3.* certior facto quã
verbo fides adhiberi solet *Scraphin. d. priv. n. 60.* & quos citat
Barbos. locuplet. lib. 6. cap. 3. Axiom. 13. Probantur verò co-28.
gitationes partim ex factis præcedentibus, partim ex sub-
sequentibus; Qualis enim animus in præcedentibus fue-
rit, probatur ex subsequentibus *Cardin. Tusch. Præf. Con-*
clus. Tom. 4. lit. I. Concl. 269. n. 30. vel ex postea gestis pro-
batur animus, qualis fuerit in præcedentibus *Mascard. de*
Probat. Vol. 1. Concl. 95. n. 7. Roland. à Valle Vol. I. consil. 77.
n. 33. Matth. de Afflict. Decis. Neapol. 319. n. 5. E contrario 29
ex facto præterito conjecturam capimus ad tempus præsens
Menoch. de præsumpt. lib. 1. §. 19. n. 2. Sicuti & ex dictis præ-
teriti temporis conjectura capitur ad actum præsentem.
Menoch. d. lib. 1. Quest. 21. n. 3. Insuper etiam ex præteri-30
tis cogitationem & intentionem futuram judicamus *Car-*
din. Tusch. Tom. 1. lit. A. Conclus. 336. n. 3. Quanquam hanc
præsumptionem in futurum merito difficilem appellet
Mascard. d. Conclus. 95. in fin. Eò certius tamen probabitur 32
factum cujusvis cogitationes, quo citius ipsas cogitationes
insequitur; sic enim actus exterior cum interiori indubita-
tam connexionem habet; Unde bene *Rota 700. n. 14. apud*
Farinac. Part. 2. dicit: Ex actu immediato & in continente fa-
cto colligitur animus. Alias enim si temporis intervallum lon-
gius intercederet, omnino dubium foret, an non cogita-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

32. tiones suas mutaverit, & alia intentione negotium susce-
perit. Hoc tamen certum, quatenus Cogitationum in
foro exteriori ratio habetur, plerumque tales in homine
præsumi, quales executio facti subsequens præsupponit.
33. Hic verò executionem facti non pro eventu capio, sed pro
ipso facto quatenus ab agente perficitur, & ex hujus pote-
state & voluntate dependet: Nam non semper eventus
respondet cogitationi & intentioni *arg. c. statutum 11. pr. de
Rescript in 6.* Unde & in delictis voluntas magis spectatur,
quam exitus *L. Divus 14. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Actus enim
hominum consilio magis quam eventu metiendi & asti-
mandi *Andr. Tiraquell. de pœn. temperand. Caus. 51. n. 7. & 9.*
34. (V.) Probantur Cogitationes ex signis exterioribus,
conjecturis & indiciiis, *Cardin. Tusch. Pract. Conclus. lit. A.
Concl. 336. n. 8. & 12 Seraphin. Priv. juram. 1. n. 42.* Non enim
semper factum subsequitur cogitationes; Sæpius aliunde
suboritur impedimentum, ne quæ mente concepta, exe-
cutioni mandentur. Quia ergo factum non semper extat, ex
quo de cogitationibus judicari possit, alia perquirenda in-
dicia, quibus intentio hominis, ubi opus fuerit, exploretur;
35. Nam affectus animi exterioribus indiciiis cognoscitur, *Frin-
cisc. Cason. de indic. Tract. 1. Cap. 8. n. 2.* ubi exemplum po-
nit in pallore vultus, si quis visus fuerit pallere, vel pavere
aut aliter vultu moveri, postea verò, exiguo temporis in-
tervallo intercedente, homicidium commiserit, præsumi-
tur deliberato animo deliquisse; propterea quod natura-
le homini sit, ut, si delinquere cogitet, & in actu proximo
versetur, vultum moveat, & ita qualitatem intrinsecam ex-
36. terno indicio proveat. Cujus rei in sequentibus hanc ra-
tionem Physicam insinuat; quod pallor ejusmodi accidat
vehementi cogitatu, sanguine, ob subitum motum, se ad
interiora

CAP. II. DE PROBATIONE COGITATIONUM

interiora recipiente. Quod ipsum indicium probandi a-
nimum facile admitto, quia cum facto conjungitur: uti
enim, prout antea dictum, ex solo facto animus colligitur,
multò magis, si tale indicium præcedat. Quod si verò ³⁷
quis delicti reus dicatur, & aliæ probationes deficiant, non
facile ex vultu sumendum indicium: Quamvis enim pallor,
& animi titubatio reum conscium arguere videantur ejus
turpitudinis, quæ ejus actionibus inest, utcunque ali-
os lateat *Johann. Zanger. de Tortur. cap. 2. n. 101.* Meritò ³⁸
tamen ibi subjicit Zangerus, multos ob periculi magnitu-
dinem & perturbationem animi inconstanter loqui, pal-
lescere, trepidare, ideoque sine aliis adminiculis fidem huic
indicio non esse adhibendam. *Add. Menoch. de Presumpt.*
lib. 1. Q. 89. n. 71. seqq. Movebit tamen eousque Judicem, ut
ad ulteriorem inquisitionem eo prior existat. *Vid. Cele-*
berrimus JGtus Dn. Tabor. Tr. de Confront. Part. 3. tb. 19.
Quænam verò illa indicia sint, quibus animus probetur, ³⁹
recensere prolixum foret: Uti enim actiones humanæ va-
riant, ita variabunt quoque actionum & cogitationum in-
dicia; Hinc integrum hoc negotium prudentis Judicis ar-
bitrio committimus cum *Menoch. de A. I. Q. lib. 2. Cas. 361.*
n. 1. seqq. Qui plura desiderat, reperiet illa apud *Dn. Job. 40*
Ottonem Taborem, Francisc. Casonum, Marcum Anton. Blancum,
Guidonem de Suzaria, Paulum Grillandum, Francisc. Brunum,
& alios, qui de indiciis delictorum edidère tractatus. Ipse
Menochius quoque *cir. loc. & Mascard. Concl. 97. & seqq.*
pleraque huc pertinentia collegerunt, quorsum Lectorem
brevitatis gratia remitto.

CAPUT

CAPUT III.

De Jure Cogitationum circa Juramenta.

SUMMARIA.

- C**ogitationum ratio maxima in juramenti habenda n. 1. cogitavit, juramento obligatur n. 15. seq.
- V**eritas & judicium in Jurante Pontificii Dd. volunt, jurantem aliud ac deferens cogitantem, non adesse debet n. 2. & 3. ad ob juramentum, sed ob scandalolum obligari n. 17.
- A**n si jurans certò cogitans rem ita esse, quæ tamen ita non est, perjurium committat? n. 4. eorum ratio n. 18.
- N**egatur, si certo credat rem ita esse n. 5. **C**ontraria opinio approbatur n. 19. seq.
- A**liud si dubitet n. 6. & 9. **R**espondetur rationi Moralitarum n. 23. seq.
- P**robabiliter ita cogitans à perjurio vix immunis n. 7. **C**onclusio questionis n. 25.
- N**isi de credulitate jurandum n. 8. **A**n restrictione mentali in juramento uti liceat? n. 26.
- A**n jurans aliud cogitans, aliud verbis exprimens, ex juramento obligetur? n. 10. **A**utores pro affirmativa citantur n. 27.
- D**istinctiones Dd. proponuntur n. 21. & seq. **S**tatus Controversia formatur. n. 28. seq.
- P**roprio motu verbis ambiguis jurans, non obligatur aliter ac ipse cogitavit n. 13. **C**asibus subjectis declaratur n. 30.
- Q**uod restringitur, si inconsulto & citra animum decipiendi amphibologi à usus fuerit n. 14. **R**atio affirmantium subjicitur n. 31. seq.
- A**d alterius instantiam jurans non prout ipse, sed prout deferens **R**ejiciuntur reservationes mentales ex variis rationibus n. 33. seq.
- C**onsensus quorundam Dd. Pontificiorum adjicitur n. 36. **N**ec in casu necessitatis sub restrictione

CAP. III. DE JUR. COGIT. CIRC. JURAMENT.

<p><i>ctiois mentali jurare licet n. 37. seq.</i></p> <p><i>Decisio compendiosa totius controversie. n. 39.</i></p> <p><i>Aliud cogitare, aliud jurare non licet. n. 40.</i></p> <p><i>An qui jurat sine cogitatione se met. obligandi, ex juramento obligetur? n. 41.</i></p> <p><i>Distinctio Monachorum inter voluntatem se non obligandi, vel</i></p>	<p><i>obligandi, sed non praestandi id, quod juramento promissum, proponitur. n. 42. seq.</i></p> <p><i>Variis rationibus defenditur, etiam jurantem sine cogitatione se met. obligandi, valide obligari. n. 45. seq.</i></p> <p><i>Consensientes allegantur. n. 52.</i></p> <p><i>Conclusio generalis in materia Juramentorum. n. 53.</i></p>
---	--

Inter præcipuas, ubi Cogitationum ratio haberi solet, i. materias, merito Juramenta collocamus. Expeditum enim est, tres juramentorum esse Comites, Veritatem judicium & Justitiam *Can. Animadvertendum 2. C. 22. q. 2. Domin. à Soto de I. & I. lib. 8. Q. 1. Artic. 3.* Ultimum quidem materiam de qua juratur respicit; ut illa licita sit, & à turpitudine remota. Priora verò conscientiam jurantis tanguat, & quo animo, quibusque cogitationibus jurare debeat, inferunt. Veritas enim, quamvis & illa ad juramenti objectum referatur, magis tamen animum jurantis concernit, ut quis mente & animo illa vera reputet, quæ verbis exterioribus sub juramenti fide profert *Henric. Zaf. ad ff. de jurejur. n. 10.* Judicium verò desultoriam levitatem in jurando respuit, temeritatemque excludit; è contrario plenam animi deliberationem in jurante exigit, ut Cogitationibus omnibus accuratè negotium perpendat, & maturo judicio Deum in testem advocet. Conspirare ergo verba cogitationibus debent, nec fallaciis obnoxia debent esse illa, quæ certissima veritatis testimonia voluit Jehovah. Quoniam verò hæc pauca ex diversitate Cogitationum jurantis hic oriuntur dubia, præcipua hoc loco proponere

D

ponere

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

ponere libuit. Et primo loco occurrit illud: An jurans, cerò cogitans rem ita se habere, quæ tamen aliter se habet, perjurium committere dicatur? Veritas quidem materialiter hic deficit, hinc & materiale perjurium hoc dici posset: Verum cum Juramentum sit expressio cogitationum mentis, ut constet, quid jurans animò sentiat, & quid ita verum æstimet, non poterit dici mendacium commississe, si illud proferat, quod certissime ita esse credit, & per consequens nec perjurii reus erit, modo debita diligentia adhibita, verum esse certo credat, quod profert *Zoes. d. l. n. 77.* Non enim omnis qui falsum dicit, mentitur, si credit & opinatur verum, esse quod dicit, *Augustin. lib. 1. de Mendac. cap. 2. & eum citans. Dn. Brunneiman. in Comment. ff. ad 6. l. 11. n. 7. de interrogat. in jur. fac.* Notanter verò dixi, modo certò credat, si enim dubitet, utique peccabit jurando. Iniquum enim est, ibi Deum advocare testem, ubi ipse, alteri fidem juramento facturus, incertus hæret. Hinc non admitto, quod habet *Zoesius* allegato loco, sufficere, si modo probabiliter cogitet, verum esse quod jurat. Quis enim non formale mendacium, imo perjurium diceret, si illud verum esse juravero, quod probabiliter verum æstimò; Quamvis enim non directò alterum decipere videatur, qui hoc pacto jurat; Omnino tamen eum decipit, quod non addit, se probabiliter illud verum æstimare. Hinc ex pari fundamento non admittendum, quod habet *Francisc. Bordon. in Propugnac. Opiniosa. probab. in concurs. probabil. cap. 22. n. 20.* non certitudinem Physicam & naturalem, sed moralem & probabilem sufficere loco objecti in juramento: Quamvis enim id admittam in tali casu, ubi saper. Credulitate saltem jurandum, quod in Juramento calumniæ contingit; Autamen ubi de juramento veritatis

CAP. III. DE JUR. COGIT. CIRC. JURAMENT.

veritatis agitur, probabilis illa opinio à tertio non liberabit. Quod si probabilis cogitatio non sufficiat, multò minus adestur dabitans jurantem excusabit. Hinc rectè *Job. Azor. Institut. Moral. Tom. 1. lib. 9. cap. 4. pr.* dicit: Qui jurat, dubitans tamen, sitne verum aut falsum quod jurat, lethalter peccat, cum se exponat periculo perjurii. 10.

De eo gravior controversia est; An jurans aliud cogitans, aliud verbis juramenti exprimens, validè ex tali juramento obligetur? Distinguere hic solent Moralium Dd. An jurans utatur verbis ambiguis, quæ in utramque partem explicari possint; An utatur verbis perspicuis, tacite tamen cogitationibus suis aliquam restrictionem reservet, quod jurare sub reservatione vel restrictione mentali appellatur. Deinde distinguunt, an quis sponte juraverit, an ad alterius instantiam. *Leonbard. Lessius de I. & I. lib. 2. cap. 42. Dub. 9. n. 44.* Si quis proprio motu juret, & verbis ambiguis utatur, non tenetur aliter ex illo juramento, quam ipse cogitavit, vel juramentum intellexit; Uti enim quisque verborum suorum optimus interpret est *arg. L. 66 ff. de judic.* ita juramentum suum explicandi potestas ipsi non deneganda; Quorsum facit textus in *Can. Humana u. Caus. 22. Q. 5.* quod divina judicia talia audiant juramenta, qualia ex intimis proferuntur *Lesf. d. l.* Sed hoc ita intelligo, si jurans ambiguis verbis non utatur studio, quò audientibus imponat, eosdemque decipiat; si enim sciat, adstantes aliter verba sua interpretaturos, ipse tamen consultò amphibologia utatur, mendax erit ac deceptor. Quod si verò incidenter in verbis juramenti ambiguitas occurrat, citra intentionem alios seducendi, excusabitur jurans in conscientia, nec aliter nisi ac ipse intellexerat, juramentum adimplere obligatus erit. Si ad alterius instantiam quis

D 2

jura-



DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

juraverit, & verbis ambiguis usus fuerit, non cogitationem jurantis, sed intentionem juramentum exigentis attendendam esse, documento est textus in *c. 9. Caus. 22. 2. 5.* Ubi summa ratione ita loquitur Isidorus: *Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientia testis est, hoc*
 16. *ita accipit, sicut ille cui juratur, intelligit.* Ex quo textu J.Cti & Theologi Protestantium unanimiter concludunt: Omne juramentum secundum intentionem illius, cui juratur, intelligendum esse *Dn. Brunneman. Comm. ff. ad L. 3. n. 3. de jurejur. Struv. Syntagm. J. C. Ex 17. tb. 18. Frideric. Balduin. de Casib. Conscient. lib. 2. cap. 9. Cas. 7. Guilielm. Ames. de Con-*
 17. *scient. lib. 4. cap. 22. n. 21.* Verum hanc simplicissimam & conscientis convenientissimam opinionem miram inmodum torquent Moraliū & Pontificii juris Dd. Plerique dicunt, tale juramentum non ulterius obligare ex vi & religione juramenti, nisi quatenus jurans cogitavit; Ratione damni tamen & scandali iade secuturi obligatum esse jurantem, ut servet juramentum, secundum intentionem exigentis, & ad id etiam in foro exteriori compelli posse *Stephan. Fagundez. de I. & I. ad Decalog. lib. 2. cap. 11. n. 13. Less. de I. & I. d. dub. 9. n. 45. Sanchez. Tom. 2. Decalog. lib. 3. cap. 10. n. 15. Henric. Zoëf. Comment. ff. de jurejur. n. 99. Covarruv. ad*
 18. *c. Quamvis de pact. in 6. Part. 1. §. 5. n. 2.* Rationem hujus opinionis præcipuam in eo collocant, quia juramentum est declaratio mentis & voluntatis; qui itaque aliter jurare non intendit ac ipse intelligit, non poterit ex vinculo juramenti aliter ab alio intellecti obligari; Cum actus morales hominis, pendentes ab illius voluntate, ultra intentionem ipsius non extendendi *Fagundez. d. l. n. 3. in fin.*
 18. Verum non probandam puto hanc opinionem; potius Isidori sententiam hoc casu simpliciter approbandam esse,

CAP. III. DE JUR. COGIT. CIRC. JURAMENT.

esse, existimo. Quia (1.) ad instantiam alterius propterea
juramentum suscipio, ut ipsum certum de animo meo red-
dam. Atqui verò si aliter verba intelligam ac protuli, non
certum reddo alterum sed decipio. (2.) Unde sequitur, 20
quod quia jurans non sibi, sed alteri fidem facere vult, non
sua sed alterius intentioni jurando respondere debeat;
Jurans enim ipse satis certus est, hinc ipsius intentio non
attendenda. (3.) Quia conditionem jurandi ab alio accep- 21
tans, eo modo se ad jurandum obligat, quo alter desiderat,
vel iudex ipse praescribit. Atqui alter juramentum rei
conveniens, & sensum juramenti negotio ac intentioni
sua aptum desiderat. Ergo jurans quoque, ut ita juret, obli-
gatus erit. (4.) Quia si intentioni juramentum deferen- 22
tis semet non conformaret jurans, otiosum foret jura-
mentum, & frivole Nomen Divinum in testimonium advo-
caretur. Jam verò quisque in conscientia sua tenetur ita ju-
rare, ut effectum habeat juramentum, & nomen Dei non
profanetur. Hinc apparet, nullius ponderis esse ratio- 23
nem contrariae opiniois. Nam nemo ex juramento ali-
ter obligari, ac jurare intendebat, ita procedet, si mo-
tu proprio nemine desiderante juraverit. Si verò jura-
mentum delatum, & ipse conditionem jurandi acceptet,
mox semet obligat, ut ad deferentis intentionem juret;
Hinc nego actum jurandi tali casu à voluntate jurantis de- 24
pendere, ut possit pro lubitu jurare; per acceptionem
enim semet alteri obligavit, ut certa ratione juret; Quod
si ergo grave aliàs est, fidem fallere, juxta L. i. pr. ff. de. Conf.
pecun. certè nefas erit ac piaculum, sub juramenti fide fal-
lere; & sub religione divini Numinis mendacium commit-
tere. Hinc concludo, qui aliter jurat, ac jurare debebat,
Perjurus est. Perjurium enim est mendacium juramento 25

D 3

confir-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

confirmatum. Atqui verò qui verba juramenti ita profert, ut aliter intelligantur, ac ipse intelligit, mendacium committit, cum mens & verba non conspirent. Et quamvis verba in sensum fortè jurantis trahi possint, non trahenda tamen sunt, nisi in quantum negotii, super quo juratur, & materiae subtrate ratio admittit.

26. Hactenus de verbis Juramenti ambiguis dictum: jam de restrictione vel reservatione mentali, quædam subjicienda; ubi quæritur si jurans verbis perspicuis utatur, annon juramentum bona conscientia in mente restringere, ac per amphibologiam aliud cogitare aliud jurare possit?
27. Non conveniunt in hac quæstione Moralistæ: Licita esse hanc restrictionem mentalem in juramentis, defendunt *Leomb. Lesf. de I. & I. lib. 2. cap. 42. Dub. 9. n. 47. Antonin. Diana Resolut. Moral. Tom. 8. Tract. 4. Resolut. 64. Edit. Lugdun. Theob.*
28. *pphil. Raynaud. speciali Tract. de Veritate Morali.* Ut verò de statu controversiæ constet exactius, verbis *Raynandi d. Tract. cap. 3. n. 35. in fin.* integram quæstionem proponam, quæ ita se habet: *Liceatne ita loqui, (& per consequens jurare, juxta Lesf. d. l. n. 48.) ut propositio, quæ exterius profertur, potest, ab aliis percipi, integretur ex aliquo, quod mente subicitur, ita ut verba externa præcise sumpta alium essent effectura sensum, quam quem efficiunt jurato conceptus, qui in mente*
29. *retinetur?* Postea in sequentibus semet explicat, non esse controversiam, an id semper liceat; sed annon aliquando in casu necessitatis, ubi innocens à morte liberandus, vel aliud irreparabile periculum avertendum, illud permissum sit? Et hoc affirmant, talibus subjectis exemplis: Titius ab hoste interrogatur, an viderit Mevium injustè occidendum? Titius respondet, non vidi, sed sub reservatione mentali, *ut tibi indicem. Raynaud. d. l. n. 36. Sa-*
oerdos

CAP. III. DE JUR. COGIT. CIRC. JURAMENT.

terdos inquisitus de delicto in confessione revelato, re-
spondere poterit jurato, se nihil audivisse, sub intelligen-
do, *tanquam purus homo*; si ulterius urgeatur, annon ut De-
us aliquid audiverit? respondere iterum poterit, se non
audivisse, cogitando, vel subintelligendo, ad modum cau-
sae principalis *Diana Resol. Moral. d. Tract. 4. Resol. 64. n. 8.*
ubi in *seqq.* plures ejusmodi casus recenset. Rationem po-
tissimam in eo collocant, quod aliud remedium non su-
perfit evitandi periculum imminens; unde consultius
astimant, juramentum mente restringere, quam anceps vi-
tae periculum subire. Insuper quoties quis iniquè vel in-
debitè interrogatur, non opus habet quarenti inte-
gram mentem exponere, cum alteri nullum jus interro-
gandi competierit; Ergo partem cogitationum exprime-
re licebit, partem subicere *Leonbard. Lesf. d. Dub. 9. n. 47. 33.*
vers. Probatur.

Verum iniquam ac perjurii plenam hanc mentalem
restrictionem in juramento dicimus, (1.) quia contra natu-
ram juramenti est, aliud cogitare, aliud verbis ore profere-
re; Veritas enim juramento exprimenda, non simulatio.
Et manifestatio veritatis est juramenti finis, *Domin. à Soro*
de I. & I. lib. 8. Q. 1. Artic. 5. qui ergo alio sine jurabit, pe-
jerabit. (2.) Quia mendacium est, aliam animi sententiam
exponere interroganti, & aliam mente retinere; Hoc ergo
si sub juramento fiat, perjurium erit. (3.) Quia decipit ad-
versarium, scienter falsam animi sententiam ipsi exponen-
do. Qui verò juramento decipit alterum, quomodo im-
munis à perjurio erit. Quorsum optimè facit formula ve-
terum, in jurando adhibere solita.

*Si ego te sciens fallam, ita me ejiciat Dies præter
Bonis, salvâ urbe & arce, ut ego hunc lapidem.*

Numme:

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

35. Numane verò non sciens ille fallit, qui sub restrictione mentali jurat? (4.) Quia nulli juramento fides amplius adhiberetur tutò, si verba ore prolata, mente restingere liceret: Hinc juramenta non fidei amplius, sed perfidei Symbola erunt *Vid. Guilielm. Amef. de Conscient. lib. 4. cap. 23. n. 19. Balduin. de Casib. Conscient. lib. 2. cap. 9. cas. 7. Nec*
36. defunt ex ipsis Doctoribus Pontificiis, qui restrictiones mentales pro mendacio, & juramentum hoc pacto præstitum, pro perjurio habent. Integro enim tractatu damnavit restrictiones mentales *Jobann. Barnesius Monachus Benedictin. Dissert. contra equivocat. Pari modo easdem non admittit Layman. Theol. Moral. lib. 4. Tract. 3. c. 13. n. 7. & cap. 14. n. 8. Steph. à S. Paul. Theol. Moral. Tract. 4. n. 25. ubi præter alios consentientem adducit Caramuelem, qui his emphaticis verbis utitur: Restrictiones mentales tollunt humanam societatem, & tanquam pestifera, damnande sunt; quoniam semel admissa, omni mendacio, omni perjurio viam aperiunt, & tota differentia in eo erit; ut quod veri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, sed nomen; ita ut hodie jubeatur restrictio mentalis nominari: quod virus contrarium urgentur, prolixè refutare non vacat. Saltem ad præcipuum contrariæ opinionis fundamentum, quod in casu necessitatis & evitacione gravissimi periculi consistit, paucis repono: Ne quidem ad mortem evitandam licere mendacium dicere, multò minus perjurium committere, cum major animæ ratio sit habenda c. 1. *Caus. 22. Q. 5. Seraphin de Seraphin. de Priv. Juram. Priv. 132. n. 4. Didac. Covarruv. lib. 1. Var. Resolut. cap. 2. n. 1. in fin. Unde Augustinus, nec orbem si periclitetur, mendacio servandum esse, voluit, quem locum citat ac probat Dn. Brunne-**
- mann*

CAP. III. DE JURE COGIT. CIRC. JURAMENT.

Inmann in Commff. ad L. 11. de interrog. in jur. fac. n. 13. In-
 trinsece enim ex unanimi Moralistarum opinione malum
 est mendacium & perjurium, & homicidio gravius *Azor. 39.*
Inst. Moral. lib. 11. cap. 12. Steph. à S. Paul. d. Dub. 4. n. 25. Dom.
à Soto de I. & I. lib 8. Q. 2. Artic. 3. Didac. Covarruv. ad c.
Quamvis. de pact. in 6. P. 1. §. 1. n. 14. Steph. Fagundez. ad 2.
Præcept. Decal. cap. 51. n. 3. Concludo verò pro cæteris du-
 biis removendis sequenti modo: Illegitimè interrogatus,
 se ad respondendum vel jurandum non obligatum esse
 doceat: Si urgeatur, Superior adest, ad quem recursus pa-
 tebit. Hic si desit, & mentis secreta pandere nolenti, mors
 immineat, pendere debet; an sine salutis periculo re-
 velare secreta possit, an non. Sin illud, & aliud mortem
 effugiendi remedium non superest, confiteatur. Sin hoc,
 mortem patiatur potius, quam perjurium committat. E-
 ventum verò abivis, DEO O. M. precibus commendet.

Ex his autè abundè patebit, qua ratione nunquam ali-
 40 ud cogitare, aliud scienter verbis vel juramento exprimere
 liceat. Congruere enim Cogitationibus verba debent,
 & quod mente non conceptum, nec desuper Sanctissimum
 DEI Nomen in testimonium vocandum. Unde judicare
 41 cuius in propatulo erit, quale ferendum iudicium super
 Quæstione illa à Moralistis graviter agitata: An qui jurat,
 sed sine Cogitatione semet obligandi, nihilominus ex illo
 juramento obligetur? Distinguunt verò circa Contro-
 42 versis statum sequenti modo: Aut jurat aliquis, voluntate
 carens præstandi id, quod jure jurando promittit, animo
 tamen volens jurare & semet obligare: Aut promittendo
 jurat, nolens quidem se alteri obligare, volens nihilomi-
 43 nus jurare. Priori casu obligari eum ex juramento cer-
 tum; cum voluntas jurandi & obligandi concurrant: Præ-

E

supposita

DISSERTAT DE JURE COGITATIONUM.

supposita verò obligatione, præstationis necessitas sua sponte sequitur. Insuper intentio hæc non præstandi id quod juratur, non est contraria substantiæ juramenti, nec illius obligationem destruit *Steph. Fagundez. in Decal. lib. 2. cap. 9. 44 n. 6. Lessus de I. & I. lib. 2. c. 42. dub. 8. n. 41.* Posteriori casu, si quis sine animo se obligandi juraverit, statuunt aliqui, nullo obligationis vinculo jurantem teneri ad implendum id, quod juravit; cum jusjurandum non obliget, nisi ex voluntate jurantis, si animo cogitaverit, semet jurando alteri obligare velle; cum verò præsentī casu contraria ipsius intentio fuerit, nulla contra mentem jurantis induci poterit obligatio, quam sententiam probabiliorē & communiorē dicit ac defendit *Fagund. d. cap. 9. n. 9.* & eandem non improbat *Azor. Inst. Moral. lib. 11. cap. 4. vers. In hac controversia. Sanchez. Tom. 2. Decal. lib. 3. cap. 10. n. 8.* Verum non saltem improbabilem, sed & impiam hanc opinionem dico, (1.) quia cuivis pejerandi ansa hoc pacto suppeditatur, si liberum esset cogitare se nolle esse obligatum, & tamen
 46 jurato alteri quid promittere (2.) Quia nullum fidei testimonium amplius esset juramentum; Is enim cui juratur, semper dicere posset, fortè tu non cogitas, quod te obligare velis, & hinc otiosa forent juramenta (3.) Quia obligatio ex ipso juramento immediatè fluit, si quis scienter super negotio sibi benè cognito juret; Qui verò vult antecedens, voluit etiam consequens, si hoc ab illo immediatè
 48 dependeat. Hinc (4.) non est in potestate alicujus evitare tacitè obligationem, si proprio motu & ex certa scientiâ talem actum suscipiat, ex quo obligatio oritur; Uti enim protestatio facta contraria nihil operatur; ita nec quicquam operabitur Cogitatio jurantis de
 49 se non obligando. (5.) Continet etiam tale juramentum illu-

CAP. III. DE JURE COGIT. CIRC. JURAMENT.

Illusionem Nominis divini, si præstare nolit, quod Deo te-
ste promisit (6.) manifestum tegit mendacium, & ita perju-
riū involvit; Quid enim demum pejerare erit, si hoc nõ erit;
Juramento solenni se alicui obligare, sed mēte cogitare se
nolle esse obligatum. (7.) Facit & hæc ratio: Quoties actus in^{51.}
potestate agentis non est, nec ab ipsius voluntate dependet,
illius dissensus vel protestatio nihil operatur. Atqui ut
juramentum alteri solenniter præstitum, obligandi vim
non habeat, à voluntate jurantis non dependet, sed ex dis-
positione Juris divini & humani, & ex ipsius juramenti in-
dole; Ergo nec dissensus jurantis quicquam hoc casu va-
lebit, ut nexum obligationis tollat. Et in hoc consentiunt^{52.}
Leonbard. Lesf. de I. & I. d. Dub 8. n. 38. Domin. à Soto de I. & I.
lib. 8. Quest. 1. Artic. 7. pr. Didac. Covarruv. ad C. quamvis
de pact. in 6. P. 1. §. 5. n. 3. Joan. Gutierrez. Canonica. Quest.
lib. 2. cap. 22. n. 31. Plures superessent controversiæ, quæ^{53.}
in hac materia proponi possent; verum pleræque iisdem
erroneis præsuppositis nituntur. Nobis certa manebit Re-
gula: Quoties jurantis cogitatio verbis, & verba Cogita-
tionibus contrariantur, toties perjurium committitur.
Nunquam enim in potestate jurantis est, secreta cogitati-
ne à nexu juramenti verbis prolatis semet liberare.

CAPUT IV.

DE

Effectu Cogitationum in Con- tractibus & Actibus intervivos.

SUMMARIA

Explicatur Rubrica capitis n. 1. | nihil operatur. n. 2.
Cogitatio in mente retenta | Ratio subjicitur n. 3. seq.
E 2

Propos-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM. &c.

- Proposium in mente retentum, Quid si transferens dominium, & abortivum est n. 5.*
- Lim. (1.) Nisi cogitatio concernat causam finalem actus exterioris gesti n. 6.*
- Quod exemplo declaratur n. 7. seq.*
- Lim. (2.) Nisi jus talem cogitationem presumat. n. 9.*
- Exempla in n. 10. & 11.*
- Lim. (3.) Nisi cogitatio ex natura negotii appareat n. 12.*
- Tacitum interdum idem operatur, quod expressum n. 13.*
- Exemplum in n. 14.*
- Lim. (4.) Nisi cogitatio ex conjecturis appareat. n. 15. seq.*
- Lim. (5.) Nisi de incommodo cogitantis agatur n. 17.*
- Cogitatio de divitiis sponse, etiam si fallat, nihil operatur. n. 18.*
- Aliud in virginitate. n. 19.*
- Ratio quare hic cogitatio attendatur. n. 20. seq.*
- In domini translatione cogitationis habenda ratio. n. 22.*
- Qua ratione traditio modus naturalis dominium transferendi dicatur? n. 23.*
- In transferente & acquirente dominium cogitatio convenire debet. n. 24.*
- Declaratur exemplo de bonis naufragorum. n. 25.*
- Qualis sit actio res suas projicientium. n. 26.*
- Annon hic cogitatio de dominio transferendo concurrat? n. 27.*
- accipiens diversa cogitatione sint. n. 28.*
- Distinguitur. n. 29. seq.*
- Antinomia inter L. 36. ff. de A. R. D. & L. 18. ff. de reb. Cred. proponitur n. 32.*
- Lyclama & Vultegi conciliatio adducitur. n. 33. seq.*
- Hilligeri conciliatio approbatur. n. 35.*
- Ab objectionibus & dubiis liberatur. n. 36. seqq.*
- Procurator rem Domino acquisiturus, qua cogitatione esse debeat? n. 41.*
- Conciliatur L. 37. §. 6. ff. de A. R. D. cum L. 13. ff. de donat. n. 43.*
- In acquirenda possessione cogitationis habetur ratio. n. 44.*
- Sola tamen cogitatio ad acquirendum non sufficit. n. 45. seq.*
- Actus interior & exterior in possessione concurrere debet. n. 47.*
- Possessio cogitatione retinetur. n. 48.*
- An hac retentio per solam occupationem alterius intervortatur. n. 49. seq.*
- An qui animo possessionem retinuit, contra resistantem detur remedium retin. poses. n. 52.*
- Negativa sententia confirmatur. n. 53.*
- Affirmativa certo casu etiam probatur. n. 54. seq.*

Sola

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONT. &c.

- Sola cogitatione amittitur possessio. n. 58. *Cogitatione, seu verbis declarata, iudicatur donatio mortis causa*
- Dupliciter responderetur ad L. 8. ff. de Acq. post. n. 59. & 60. *n. 79.*
- Cogitanti se spoliatum, denegatur manutentio. n. 61. *Quid si aliunde cogitatio mortis colligatur? n. 80. seq.*
- Cogitatione causa possidendi non mutatur. n. 62. *An donator, qui de suscipiendis liberis cogitavit, postea supervenientibus liberis possit revocare donationem? n. 83.*
- Aliud si nova causa superveniat. n. 63. *Negatur. n. 84.*
- Cogitationis ratio in usucapione habetur. n. 64. *L. si unquam. renunciari potest. n. 85.*
- Titulus cogitatus seu putativus non sufficit? n. 65. *Salva liberorum legitima. n. 86.*
- Quod limitatur in emptione putativa, ab alio facta. n. 66. *An donator de liberis presumendus sit cogitasse? n. 87. seq.*
- Declaratur exemplo. n. 67. *Cautela pro donatario est, ut liberorum mentio in instrumento donationis fiat? n. 89.*
- Qui cogitans debitum subesse, solutionem accepit, usucapit. n. 68. *An sufficiat generalis liberorum cogitatio? n. 90.*
- Cur aliud in emptione? n. 69. seq. *Negativa approbatur. n. 91. seqq.*
- Bona fides in Cogitationibus consistit. n. 71. *Cogitatio quid in contractibus operetur? n. 94.*
- An possessor cogitatione dubius, possit usucapere? n. 72. *An quod contrahentes cogitantes pro expresso habendum? n. 95.*
- Dubium praecedens viciat usucapionem. n. 73. *Negatur. n. 96.*
- Quid si dubium supervenerit? n. 47. *Explicatur L. Triticum 94. ff. de V. O. n. 97. & seqq.*
- Distinctio inter dubium theoreticum & Practicum proponitur. *Si de cogitatione contrahentium non constet, contra quem interpretatio facienda? n. 102.*
- Videndum in quam partem dubitans inclinet. n. 76. *Distinctio inter negotia judicialia & extrajudicialia. n. 103. seq.*
- Quid si valde dubitans adhibita industria veritatem inquirere non possit? n. 77. *Cogitatio contrahentium etiam ex consuetudine Regionis determinari potest. n. 105.*
- Quid si sciat alienam, sed noscitur cuius sit? n. 78. *E 3 Effectus*

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

1. **E**ffectus Cogitationum circa Contractus & actus inter vivos proposituri, generalius Contractuum appellatio nobis veniet, quo ceteros actus Civiles inter duos pluresve geris solitos, contractuum tamen nomine propriè non venientes includamus. Præmittimus verò in genere: Cogitationes verbis vel factis non expressas nullum producere effectum *Paul Cypraus de Sponsal. cap. 9. §. 21. n. 3.* quod frequentius Dd. ita exprimunt: Propositum in mente retentum, nihil operatur, *arg. l. Si rependi 7. C. de Condict. ob caus. dat. Hippol. de Marsil. singular. 577. n. 4. Menoch. lib. 1. de presumpt. 2. 26. n. 5. Tiragvell. in L. Si unquam. verb. libertis. num. 24. Cod. de Revoc. donat.* Quotiescunque enim obligatio inter aliquos inducenda, conventio præexistat necessum est: Conventio verò vel expressam cogitationum ac voluntatis declarationem requirit; vel tale factum, ex quo voluntatis declaratio abundè capiatur; Est enim conventio idem duorum placitum *L. 1. §. 2. ff. de pact.* Atqui de hoc non constabit, si animi cogitationes neque verbis, neque factis exprimantur. Unde bene alii monent, quod voluntas in corde retenta, non accommodetur actui hominum *vid. allegatos à Barbosa locuplet. 5. lib. 19. Axiom. 31. cap. 41.* Et tale propositum aliqui abortivum vocant, quasi quod nunquam lucem aspexerit *Cardinal. Mant. de tacit. & ambig. Convent. lib. 1. Tit. 5. n. 24.* Similis est enim talis cogitatio posthumo, qui nunquam nascitur *Jason in L. 1. n. 9. ff. de Condict. Caus. dat. Card. Tusch. Pract. Conclus. lit. P. Concl. 919. n. 2. Tiragvell. ad d. L. si unquam Gloss. libertis n. 22.* quod ipsum inferius ad exempla specialia applicabimus.
6. Non tamen limitationibus suis destituitur hæc regula; Nam (1.) non procedit; si cogitatio concernat causam finalem actus exterius; gesti, quæ causa finalis cum

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR.

cum utrique cognita fuerit, non opus fuit exprimere,
quod tali vel tali cogitatione id fiat. *Dn. Brunnem. Comm. Cod. ad l. si major es 25. de Transact. Tiraquell. Tract. Cessante causa lim. 21. n. 3.* Sic quæ sponsæ donata nuptiis non se-
cutis repeti possunt; Hac enim tacita cogitatione dona-
vit sponsus, si nuptiæ sequerentur; quod quamvis non
expresserit verbis, facile tamen cogitare poterat ac debe-
bat sponsa, præfatâ cogitatione fieri donationem; Quod
idem in dotis promissione obtinet, ob tacitam cogitatio-
nem, si nuptiæ sequantur *l. 6. pr. ff. de Cond. Causs. dat.*
(2.) Limitat. regula superior, nisi cogitatio talis vel propo-
situm ex dispositione Juris præsumatur, sic enim utique
effectum habet. *Dn. Brunnem. Comm. ff. ad. L. 1. n. 2. d. t. Card. Tusch. d. Concl. 919. n. 7.* Exemplum in donatione
mortis causa, ubi si ægrotus alicui quid donaverit, postea
verò ex eodem morbo reconvaluerit, repetere res dona-
tas poterit; *l. 29. ff. de don. mort. Causs.* Tacitè enim id co-
gitasse videtur, si eo morbo decefferit. Eadem præsump-
ta quoq; cogitatio efficit, ut donationē ob liberorū super-
venientiam revocare liceat ex *L. Si unquam 8. C. de Revoc. donat.* præsumitur enim cogitasse, se improlem discessu-
rum; si enim liberos se suscepturum cogitasset, omnia
bona non donasset, quam rationem communiter tradunt
Dd. ad d. l. si unquam. Donell. lib. 14. c. 32. (3.) Lim. Nisi ejus-
modi cogitatio ex natura contractus vel negotii gesti o-
riatur, ubi parilem effectum habebit, ac si verbotenus sit
expressa. Quæ enim tacitè ipsi actui insunt, non opus
est, ut exprimantur, & si expressa fuerint, nihil novi juris
tribuunt *L. condiciones 99. ff. de cond. & demonstrat. & Dd. in l. 3. C. de fidejussor. Covarruv. ad c. Raynutius. X de Testam. §. 5. n. 11.* Quoties enim tacitum inest præcisè & simplici-
ter

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- ter, parem virtutem habet, quam expressum *Jacob. Me-*
14. *nob. de presumpt. lib. 4. praf. 40. n. 8.* Sic in re mutuo data,
 etiamsi mutuans non expresserit rem in eadem bonitate
 restituendam esse, attamen cum ex natura contractus id
 cogitaverit, idem quasi expressum esset, actum intellige-
 tur. Et eo respectu, quod tacitè agitur, pro cauto haben-
 dum erit *l. cum quid mutuum 3. ff. de Reb. Cred. Cardinal.*
Mantic. de Tacit. & ambig. convent. lib. 1. tit. 5. n. 25. &
15. *30. (4.)* Lim. Nisi ex conjecturis de cogitatione vel pro-
 posito constare possit; *Anton Gabriel. lib. 6. Commun. Opin.*
de Reg. jur. Concl. 4. Sic enim cogitatio non manet nudè
 talis, cum alteri certis indicis jam declarata sit, qui si in
 propositum idem consentire nolisset, contradicere de-
16. buisset. Et huc pertinet illa Doctorum Regula: Conje-
 cturati eadem vis est, quæ expressi. *Cardinal. Tusch. Pract.*
Conclus. lit. T. Conclus. 7. n. 13. Alexand. Tartagn. vol. 7. Consil.
17. *109. n. 17. in fin. (5.)* Lim. Ut procedat saltem regula, quod
 cogitatio mente retenta nihil operetur, scil. quoad com-
 modum ipsius qui in mente retinuit *Augustin. Barbof. Col-*
lectan. in Cod. ad L. 7. n. 4. de condict. ob causf. dat. Nocere
 tamen ipsi aliquando poterit, si postea aliunde de cogitati-
 onibus ipsius constiterit.
18. Generalibus hisce præmissis, ad specialia progredi-
 mur. In Matrimonialibus, qui cogitat fœminam quan-
 dam ditissimam esse, & ea cogitatione seductus, paupe-
 rem postea deprehendat sponsam, resilire non poterit;
 Nam & hoc casu cogitatio mente retenta nihil operatur;
 si verò expressam hanc conditionem adjecisset, si dives fu-
 erit, recedere utique à sponsalibus poterit *Paul. Cyprianus de*
19. *Sponsal. cap. 13. §. 35.* Econtrario si aliquis cogitet
 virginem esse illam, quæ habitu semet pro virgine
 gerit, si eam imprægnatam postea reperiat, operabitur
 hæc cogitatio, ut resilire sponso liceat. Uti communiter
 ferè

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR &c.

ferè consentiunt Dd. per *Novell. Leon. 43. Carpx. Jurispr. Ecclef. lib. 2. def. 193. Job. Gerbard. de Conjug. §. 11. Cypraus. d. 1. §. 39.* Quare verò hic cogitatio non expressa aliquid operatur? Fortè enim vel conditionem hanc exprimere, *si virgo es*; vel prius inquirere accuratius debuisset. Quadrabit tamen huc limitatio 4. superius adducta; Habitu virginali incedebat sponsa, hinc ex natura actus sponsalitiu facilè conjicere poterat, sponsum non in defloratam & imprægnatam consensurum. Cogitatio ergo de eo concepta, quod regulariter inesse debebat, utique effectum habebit, etiam non expressa; cum, uti superius dictum, ea quæ tacitè insunt, non opus sit ut exprimentur.^{22.}

Circa Dominii translationem & acquisitionem Cogitationum quoque ratio haberi solet. Certum quidem est, traditionibus rerum dominia transferri, per *L. tradi- tionibus 20. C. de pact.* At verò in tradète quam maximè præsupponenda cogitatio, quod tradendo, Dominium in alterum transferre velit. Hinc optimè monet Imp. in *§. per traditionem 40. J. de R. D.* Nihil tam conveniens esse æquitati naturali, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Quorum verborum sensus non ille est, quasi necessariò Jure naturæ ad Dominii translationem traditio esset necessaria; Contrarium enim probat *Hugo Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 6. n. 1.* & ad hunc locum *Nobiliss. Dn. Caspar. Ziegler in not. princ.* sed hic est; si quis rem suam alteri tradat animo & cogitatione dominium transferendi, ille modo maximè naturali dominium transfert: Adest enim animus, & adest factum ipsum. Præcipua verò hoc casu animi & cogitationis^{24.} habetur ratio, cum nuda traditio nihil operetur *L. nunquam 31. pr. ff. de A. R. D.* Cogitatio verò de dominio transferendo in tradente; & de dominio acquirendo in acci-
F
piente

DISSERTAT. I DE JURE COGITATIONUM.

- piante adesse debet: Alterutrum si deficiat, Dominii translatio impeditur. Unde affectum ex utraque parte concurrere, & utriusque animum consentire debere, bene monet Javolenus in L. in omnibus 55. ff. de O. & A. Sic res naufragorum in littore maris repertas, quamvis inventor animo & cogitatione sibi acquirendi apprehendat, non tamen Dominus efficitur, sed furtum potius committet; cum alter ea cogitatione non projecerit, ut dominio semet privaret, sed ut à periculo semet liberaret, §. *Alia sane*
26. *fm. J. de R. D. L. 9. §. fm. ff. de 1. R. D.* Et quamvis non involuntaria dici hæc actio possit, Mixta tamen est, ita ut magis ex voluntario particeps: Rem enim quam perfectè cognitam perspectis atque consideratis omnibus circumstantiis volumus, eam simpliciter volumus, quanquam secundum quid non velimus, uti hoc præsentis exemplo de projectis in mare declarat *Georg. Calixt. Theol. Moral. p. 38. Addatur Joseph. Gibalin. de Scient. Canon. & Hieropo. 27. lit. Tom. 3. lib. 8. cap. 2. Q. 1. n. 18.* Voluntas tamen hæc ad Dominii translationem directa non est, sed saltem ad projectionem, quæ conditionatam Dominii reservationem cogitatione retentam, si fortè res ad littus pervenerit, non excludit. Nemo enim hoc animo rem projicere præsumitur, ut nolit, si recuperare possit, eam in numero rerum suarum amplius habere, quod tamen necessarium, si res pro derelicto habenda, ut alteri jus occupandi competat §. *Quaratione I. de R. D. t. t. ff. pro derelict.*
28. Huc pertinet quoque celebris illa controversia; Si Dominus rem cogitatione transferendi dominium tradat; alter verò alia cogitatione accipiat, an Dominium censeatur transferarum? Distinguendum hic, An diversa cogitatio fuerit in titulo transferendi dominium; an in ipsa translatione. Posteriori casu diversitas Cogitationis Dominii
- 29.
- 30.

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTRUM.

minii translationem utique impedit E. G. si pecuniam tibi mutuum dedero, tu quasi commodatam ostendendi gratia accipias *L. 18. §. 1. ff. de Reb. Cred.* Deest enim hic animus Dominium acquirendi in accipiente, unde impeditur translatio *Donell. lib. 4. Comment. cap. 18.* Priori casu si uterque quidem de translatione domini cogitet, de Titulo verò translationis discrepent, non impeditur domini translatio, cum uterque ad transferendum dominium habilis sit: Unde si pecuniam numeratam tradam donandi animo, Tu quasi creditam accipias, proprietas ad te transit *L. cum in corpus 36. ff. de A. R. D.* Dubiam verò hanc decisionem Juliani reddit *Ulpianus in d. L. 18. ff. de Reb. Cred.* ubi tali casu nummos accipientis non fieri dicit, subjecta ratione; quia alia opinione sive cogitatione accepit. Subtilitatem sapit conciliatio, quæ habet *Marc. Lyclama lib. 5. Membran. Eccl. 16.* quando in *L. 36. ff. de A. R. D.* vocem creditam ita interpretatur, non ut mutuum denotet, sed restitutionem antea crediti, s. ut accipiens putet se pecuniam olim alteri creditam recipere. Sic enim ab utraque parte adest animus dominium irrevocabiliter acquirendi & transferendi. Et hinc mox diversitas casuum in utraque lege apparet. Admitterem hanc conciliatorem, nisi *Ulpianus in L. 18.* expressè eundem casum Juliani ex *L. 36.* referret, ipso Juliano simul allegato. Non absurda est distinctio *Hermanni Vult. Comm. ad §. 40. n. 8. l. de R. D.* quando inter Dominii acquisitionem, & Contractus celebrationem differentiam constituit, & illam quidem in *d. L. 36.* non impediri, ob rationem superius allegatam; in hac verò nihil agi dicit, secundum *d. L. 18.* Non enim contraxisse dici poterunt partes, si unus contrahentium donare, alter mutuum contrahere intenderit, cum in idem placitum

DISSERTAT. DE JURE, COGITATIONUM.

- non consentiant *Harprecht. ad §. 40. n. 24. l. de R. D. Job. Gædd. de Contrab. Strip. cap. 3. Conclus. 2. n. 8. & seq.* Verum hoc pacto id dubii adhuc supererit, quod in *d. L. 18.* dicatur,
35. nummos accipientis non fieri. Varias hic cumulant respon- siones, verum illa nobis arridet, quod Ulpianus non simpliciter neget, nummos non fieri accipientis, sed adje- cta particula *magis*: ut hic sensus sit; Etiam si alter animo donandi dederit, tamen propterea magis nummi accipi- entis non fiunt, quam si mutuo accepisset, cum alia opi- nione, non quasi donatos, sed sibi mutuo datos, acceperit, quod ulterius persequitur *Hillig. in Donell. Lib. 4. cap. 18. lit.*
36. B. Duo quidem regeri posse videbantur, (1.) vocabulum *magis* in Legibus plerumque pro *verius* capi, uti apparet ex *L. 38. pr. ff. de Solut. L. 72. §. 4. ff. eod. L. 27. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Unde & in præsentî textu ita explicandum. (2.) Non posse defædi, Ulpianum velle ulla ratione nummos accipi- entis fieri, cum talem actum nec ut donationem, nec ut mutuum subsistere statuât. Verùm ad prius respondeo,
37. rationem subjectam involvere, particulam *magis* proprio significata retinendam esse: Tales enim duo actus præ- mittuntur, ex quorum uno magis sive irrevocabiliter, ex altero minus seu revocabiliter nummi alicujus fiunt. Si ergo particula *magis* pro *verius* capiatur, quasi planè num- mi accipientis non fierent, absona foret subjecta ratio: quia alia opinione accepit; Accepit enim ea opinione ac cogitatione, ut nummos suos faceret ex mutuo, & quam- vis alter donare voluerit, eapropter tamen non magis suos fecit, quam ex mutuo moris erat, scil. revocabiliter, hac enim, non donandi opinione accepit: nemo verò ulterius
38. rem acquirit, quam acquirere voluit. Et ex eo ad poste- rius quoque dubium fuit responsio. Concedo enim do- nationem

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR. &c. |

nationem hic nullam esse, ob defectum acceptionis;
Concedo etiam mutuem reverà non subesse, eum eà cogi-
tatione pecunia non data; Accipientis tamen facta, eum
& dans & accipiens id intenderint, ut alterius fieret. Quo; 9.
titulo verò? Ex principiis naturalibus res expedita, ob
concurrentiam voluntatis in eundem finem. Ratio verò
Civilis resistere videtur; Verum & hic mutui titulo acci-
pientem nummos suos fecisse dico, non quasi mutuum
revera subfuerit, sed quia non aliter, ac mutuum accipien-
do, ipso facto ad restitutionem nummorum semet obligat,
& magis ac si mutuo accepisset, nummos suos non facit; 40
Repeti ergo poterunt actione mutui, quanquam agenti do-
li exceptio obstat, repetendo, quod cogitatione sua ac vo-
luntate in alium transferre irrevocabiliter voluit. Quam
doli exceptionem etiam nummis extantibus competere,
non sine ratione statuit *Dn. Habn. ad Wesemb. tit. de Reb. Cred.*
N. 12. quod enim ex voluntate dantis consumere licet, ex
parili voluntate retinere licebit. Ergo ex cogitatione acci-
pientis ad repetendum datur actio; Ex cogitatione dan-
tis ad retinendum datur Exceptio.

Eadem cogitatio de transferendo & acquirendo do- 41.
minio adesse quoque debet, quoties per intermediam
personam, Procuratorem scil. vel servum negotium per-
agitur; Procurator enim hac cogitatione rem accipere
debet, ut meam faciat: Quoties enim Procuratori meo
rem tradideris, ut meam faceret, is hac mente acceperit,
ut suam faceret, nihil agitur *L. 37. §. 6 ff. de A. R. D.* cum quo
Juliani responso consentit Paulus in *L. 1. §. 20. ff. de Acquir.*
poss. Dissentire verò videtur Ulpianus in *L. qui mihi 13. 42.*
ff. de donat. Ubi, si quis Procuratori meo, eo animo rem
tradiderit, ut mihi acquirat, ille quasi sibi acquiratur ac-
ceperit

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM

- ceperit, nihil agit in sua persona, sed mihi acquirit. Con-
- 43 ciliatio horum textuum commodè ex qualitate Cogitationum desumitur. Si Procurator non saltem animo cogitaverit, sed & verbis vel facto expresserit, se sibi rem traditam acquirere velle, planè nihil agitur; Non respectu Domini, quia huic acquirere noluit Procurator: Nec respectu Procuratoris, quia in hunc Dominium transferre noluit tradens. Sed si Procurator saltem mente cogitaverit, nec expresserit, se sibi acquirere velle, sed simpliciter rem acceptaverit, nihil agit in sua persona, sed Domino acquirit; Cogitatio enim in mente retenta nihil operari poterit, uti notatum superius n. 2. Sufficit itaque quod tradens Domino acquiri voluerit, & Procurator non contradixerit *Add. Donell. lib. 5. Comm. c. 10. Wissenbach. Vol. 2. ad ff. Disp. 19. tb. 6. Dn. Brunnemann. Repet. Wesembec. 2. 5. de Acquir. poss. Dn. Struv. Exerc. 41. tb. 5.*
- 44 In acquirenda & transferèda possessione, (quam materiã, cõnexionem Rubricarum in ff secuti, hic subjungimus) perzquè magna Cogitationum habenda ratio. Possessionem enim acquisiturus, eã mente & cogitatione esse debet, ut velit possidere, monente Paulo Jcto in L. 3. § quod autem 1. ff. de Acquir. poss. hinc animus potissimum consideratur in constituendo aliquem in possessione *Ludov. Post. de Manduten. Observat. 20. n. 20.* Sola verò cogitatio ad acquirendam possessionem non sufficit, sed animo ac corpore simul
- 46 acquiri debet L. Quemadmodum 8. ff. d. t. Et quamvis *Uldaric. Zas. ad L. Possideri 3. §. 1. ff. d. t. n. 6. & seqq. ex* Glossa decem recenseat casus, ubi solo animo citra actum corporeum possessio acquiritur; Bene tamen ad hos casus in genere respondet *Hillig. in Donell. lib. 5. cap. 8. lit. A.* quod in plerisque illis casibus adfit actus corporeus, si non naturalis,

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR. &c.

ralis, saltem adsciuitus: Certè enim fictio juris supple-⁴⁷
bit defectum actus corporei. Id certius, solum animum,
vel cogitationem, quatenus in terminis interioribus ma-
net, ad acquirendam possessionem non sufficere, sed actū
exteriorem quovis casu necessarium esse. Sicut & actus
exterior pari modo non sufficit, si cogitatio acquirendi
possessionem desit; quod dormientis exemplo bene de-
clarat Paulus, cui, si quis in manu quid ponat, possessio ta-
men non competit *L. 1. §. 3. ff. de Acquir. poss.* quod idem in
illis obtinet, quibus cogitandi & deliberandi facultas cor-
rupta, ut in furiosis & ebriis *d. L. 1. §. 3. Petr. Rebuff. ad Const.*
Regn. Gall. Tom. 3. de Mat. Possess. pref. n. 31

Quamvis autem non acquiratur, retinetur tamen⁴⁸
possessio sola cogitatione, etiamsi corpore rem nō detine-
amus *L. 3. §. 11. ff. d. t. L. 6. in fin. & L. 46. in fin. ff. eod.* Ab-
surdum enim foret, si testudinis ad instar domui adhæ-
rendum, nec pedem limine efferre liceret, citra juris no-
stri amissionem *Hillig. in Don. lib. 5. c. 13. lit. A.* Hinc hæc re-
tentio quoque obtinet, etiamsi quis vadat in longinquam
regionem *Ludov. Post. Tr. de Manutent. Observat. 17. n.*
18. Verum hæc possessio cogitatione retenta eousque⁴⁹
effectum habet, donec alius rem nostram occupaverit, &
nobis revertentibus, & possessionem ingredi volentibus
resisterit, & facultatem rem nostram iterum occupandi
violenter ademerit. Occupatio enim sola ab altero facta⁵⁰
possessionem cogitatione retentam, si resistentia actualis
non adfuerit, non intervertit *d. L. 6. §. 1. ff. d. t.* quanquam
resistentia actualis ibi necessaria non sit, si quis cogitet, al-
terum restitutum, & propterea animum possidendi de-
ponat *L. 25. in fin. ff. eod.* Quod enim cogitatione confer-⁵¹
vatur, contraria cogitatione amittitur *arg. l. 46. ff. d. t.*
Conf. l.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- Conf. l. 7. ff. cod. quam declaratam vide a *Post. de Manuten. Observat. 58. n. 41.* Extra hunc casum ergo salva est possessio, adeo ut possessori Civili facultas alterum violenter ejicendi, si in continenti fiat, concedenda sit, *Dn. Brunne- man. Comment. ff. ad d. L. 6. n. 4. Petr. Rebuff. ad Const. Regn. Gall. Tom. 3. de Mater. Possess. Prafat. n. 15. Bartol. in L. 1. §. interdictum n. 3. ff. uti possid.* Sed in eo non conveniunt; An
52. is qui cogitatione Civilem possessionem retinuit, contra- resistentem possit retinendæ possessionis remedio experi- riri? Affirmat hoc *Menoch. Remed. 3. Retin. Poss. n. 35.* Negant verò alii *Zacius Comm. ff. tit. ut. poss. n. 7. Struvius*
53. *Excerc. 45. tb. 119. Douell. Comment. Cod. ad L. Un. n. 12. ut. possid.* Per resistentiam enim possessio intervertitur, & alter pro dejecto habetur, atqui dejecto non retinendæ sed recuperandæ possessionis interdicta dari expeditum *L. 11 §. 4. ff. uti. poss.* Hinc etiamsi dejectus aliquando pro pos- sessore habeatur, id tamen saltem quoad possessionis recu- perationem procedet *L. Si quis. 17. pr. ff. de Acquir. poss. Et add. L. Dn. Brunne- man. in Comment. ubi verò de reti- nenda possessione quæritur, actualis possessio adesse debet. Nec solus animus, vel cogitatione retenta pos- sessio quicquam operabitur, quia hoc pacto conservatur saltem possessio ab altero non interversa. Interim certâ*
54. *ratione etiam Menochii sententia retineri poterit; si scil. ut casum l. 6. ff. d. t. retineamus, mercator à nundinis re- versus, ædes suas ab alio occupatas videns, mox judicem adeat, & se in possessione ædium suarum defendi, alterum verò ut turbatorem expelli petat. Tali casu enim actualis resistencia & dejectio nondum facta; Ergo salva mercato- ri possessio cogitatione retenta d. L. 6. Et quamvis is et- iam, qui suspicatur alterum restiturum, vel se repelli posse ab eo*

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR. &c.

ab eo, qui ingressus sit possessionem, animo desinat possidere per *L. 25. in fin. ff. eod.* Tamen adeundo iudicem sine tali cogitatione aut suspicione esse poterit: Quid si enim hac ratione iudicem alloqueretur: Domine iudex, video ædes meas à Titio occupatas; jam verò me quidè latet, quo animo id Titio fecerit, an mihi restituere velit, vel non; quia tamen ego hactenus cogitatione meâ nunquam possessionem harum ædium dimisi, sed eo modo adhuc possideo, nec puto Titium me repellere posse, merito occupationem Titii me in scio factam, pro turbatione habeo, & per consequens autoritate Tua me in possessione mea nondum intersersâ manuteneri peto. Hic utique manutenendus 56. sum, cum possessione mea non exciderim; Eundo enim ad iudicem possessionem non amitto, sed conservare ac continuare cupio. *Vergin. de Boccac. à Cingulo Tr. de interd. cap. 2. n. 20. Petr. Frider. de interd. tit. 7. n. 78. Mandell. de Alba. Consil. 78. n. 13. Mattb. de Afflict. Decis. Neapol. 395. n. 7.* Unde & tali vel simili casu mandatum de manutenendo 57. dari posse, concedit *Ludov. Post. Tr. de Manuten. Observat. 58. n. pen. & ult.*

Amiſſionem possessionis quod attinet, iterum inſi- 58. gnis Cogitationum resultat effectus; quod sola cogitatione possessio amittatur, modo illa verbis vel alia ratione declarata fuerit. In amittenda enim possessione semper affectio ejus, qui possidet, attendenda; qui enim in fundo est, possidere tamen non vult, protinus amittit possessionem; unde concludit Ictus, quod solo animo amittatur *L. 3. §. 6. ff. de Acquir. poss. quæ amissio procedit, sive quis possideat animo & corpore suo; sive animo suo & corpore colonorum Ludov. Post. d. Tr. Obs. 57. n. 51.* Contrarium quidem statutum videtur in *L. quemadmodum §. ff. d. t. ubi & animi* 59. & cor-

G

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- & corporis actus ad amittendam possessionem requiritur. Verū conciliatio communis est; in *L. 8.* agi de eo, qui corpore non est in possessione, quod ille & corpore & animo; qui verò adhuc est in possessione, sola cogitatione exterius declarata, se possidere nolle, possessionem amittat *d. L. 3. §. 6. Dn. Brunne man. Comment. Pand. ad d. l. 8. Gorbofred. ad d. L. 60. Wissenbach. ad ff. d. t. 1b. 31. Fachin. lib. 8. Contr. 21.* Aliter hos textus conciliat *Donell. lib. 5. Comment. cap. 13* scil. animo solo possessionem amitti, adeo ut corporalis detentio, deposita possidendi affectione, possessionis retentionem non involvat; Huic verò non contradicit *d. L. 8.* quod ad possessionis amissionem utrumque in contrarium agi debeat; Talis enim cogitatio & talis animus esse debet, ut nec animo nec corpore possidere amplius velit; & hic non opus est, ut corpore plane fundo excedam, sed
61. sufficit, si animum illum sufficienter declarem. Et ex hoc ipso capi poterit ratio, quare illi, qui se habuit ac declaravit pro spoliato, sit deneganda manutentio, secundum *Post. d. Observ. 54. n. 44.* Pendet enim ab ejus animo, an possessionem retinuerit *Post. d. L. n. 48.* si ergo hunc animum deposuerit, pro spoliato habendus, & hinc non manutendus; quia fundamento manutentionis, seu possessione se destitutum esse, abjecto possidendi animo, ipse factetur.
62. Quamvis ergo cogitatione retineri & amitti possessio possit, hoc tamen non efficit, ut quis sibi causam possidendi mutare possit, contra *L. 3. §. 19. ff. de Acquir. possess. L. 1. §. fin. ff. pro donat.* quod ita bene explicat *Donell. lib. 5. cap. 15.* qui ex aliqua causa non possidet, cogitatione sua, ut ex ea possideat, efficere nequit, ne quidem si bonâ fide subesse putet: Nam de mutatione possessionis sola cogitatione facta,

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR. &c.

ne facta, Jctos tantum loqui, evidens est ex *L. 19. §. 1. ff. de acquir. posf.* ubi Marcellus dicit, hoc de eo intelligendum esse, qui & corpore & animo possessioni incumbens, *hoc solum statuis*, id est cogitatione ac animo constituit, ut alia ex causa id possideret; Inde aliud esse dicit, si dimissa prima possessione, ex alia causa eam nanciscatur. Sicut & 63. aliud est, si nova possidendi causa superveniat, ut si depositarius rem à deponente emerit, arg. *L. Cum nemo 5. C. d. t.* Et ibi *Dn. Brunnean. Comment. Conf. L. 33. §. 1. ff. de Usucap. Dn. Tabor. ad Axiom. Barbosa lib. 14. cap. 44. Ax. 5.*

Missa jam Possessionis materia, recto pede ad usucapionem progredimur, ubi non minor Cogitationum utilitas. Præcipua verò quæ extra temporiscursum in usucapionibus attenduntur, hæc sunt; possessio, justus titulus & bona fides. Qualis Cogitatio ratione possessionis necessaria sit, ex dictis adparebit: De Titulo ergo & bona fide quædam dicenda. Circa titulum hæc semet offert controversia; An, si quis cogitet, se justo titulo possidere, cogitatus ille seu putativus titulus ad usucapionem sufficiens sit? Et hoc regulariter negandum: Revera enim titulus subesse debet, non cogitatione *L. fin. C. de Usucap. pro hered.* nec sufficit putare se emisse, si revera non emerit *L. 48. vers. Aliud. ff. de Usuc. §. Error 6. J. d. t.* ut adeo existimatio hoc casu nihil proffit *L. Celsus 27. ff. eod.* Verum nec 66 hoc quoad putativam emptionem sine limitatione est; si enim quis justam habuerit ita cogitandi ac existimandi causam, omnino usucapio procedet. Justa verò causa exinde quam maximè dijudicanda, an ob factum proprium quis emptionem subesse cogitaverit; an verò ob factum alienum. Illa cogitatio, utpote improbabilis, usucapionem impedit; ignorantia enim facti proprii pro improbabili

DISERTAT DE JURE COGITATIONUM.

- babili reputatur, & hinc neminem excusat L. *quanquam* 7. ff. ad SE. *Vellej. Gail. lib. 2. Obs. 48. n. 19. Mascard. de Probat. Concl. 637. n. 3.* Hæc verò cogitatio ex errore facti alieni
67. orta pro justitia tituli sufficit. Textus elegans in L. *fin* §. 1. ff. *pro suo* Si rem à servo meo empram existimem, tolerabilis ignorantia est, ex facto alieno orta, hinc ejusmodi probabilis cogitatio, utut erronea, usu capioni non obstat. Similis decisio est in L. *Quod vulgo* 11. ff. *pro emptore*. Tantum enim potest justa cogitandi & existimandi causa ex alieno facto orta L. 33. §. 1. *vers. hoc amplius ff. de Usucap. Dn.*
- 68 *Bruneman. Comm. ff. ad d. L. quod vulgo.* Nec aliud decisum in L. *Si existimans* 48. ff. *de Usuc.* ubi pro soluto procedit usucapio, si ego cogitans me tibi debere, tradam, tu itidem putans debitum subesse, accipias; quâvis enim hic proprii error facti præcedere videatur; revera tamen nõ subest, cum saltem solutionis tempus inspiciatur in illo, qui pro soluto usucapere vult; atqui ibi circa solutionem nulla erronea subest cogitatio, quanquam circa causam, ex qua solvitur, error committatur, qui usucapionem non vitiat: Recipiens enim hic potest cogitare rem sibi deberi, vel saltem tunc tradentem velle deberi. *Henric. Zæf. Comm. ff.*
- 69 *Pro emptor. n. 4.* Sed in venditione putativa non sufficit, traditionis tempore cogitare se emisse, sed & ipso tempore contractus in bona fide esse debeo, d. l. 48. & L. 2. *pr. ff. pro emptor.* cujus rationem hanc puto, quod consensu perficiatur venditio; quod si ergo tunc in mala fide sim, vitiosa venditio erit, ita ut per errorem traditionis vitium
- 70 præcedens purgari nequeat: Venditioni erga traditio respondere debet, quorsum traho alias obstantem L. 10. *pr. ff. de Usucap* ubi bonam fidem in contractu adfuisse non sufficere, sed & tempore traditionis adesse debere haud obscure innu-

CAP. IV. DE EFFECT. COGITATI. IN CONTRA

rè innuitur, ut inde meritò singularis ratio in emptione putativa subsit.

Bonam fidem quod attinet, integra hæc cogitationi-⁷¹ bus absolvitur. Nihil aliud enim est bona fides, quam credulitas, quod res sit tua *Domin. à Soto de I. & I. lib. 4. Q. 5. Artic. 4.* seu bona fides est, qua quis sibi prudenter persuadet, rem suam esse, vel saltem non esse alienam *Andr. à Matre Dei Theol. Moral. Tom. 3. Tract. XII. cap. 2. Punct. 9. §. 1. n. 108. Leonbard. Lesf. de I. & I. lib. 2. cap. 6. Dub. 3. n. 9.* Persvasio verò illa cogitationibus perficitur; unde & is in bona fide est, qui putavit alterum jus vendendi habuisse *L. Bone fidei 109. ff. de V. S.* qui verò corde aliud credit, malæ fidei possessor est *Didac. Covarruv. ad c. Possessor P. 2. §. 6. n. 1. de R. I. in 6.* Hinc benè Pomponius monet, qui non putat sibi per Leges licere usucapere, etiamsi erret, tamen non videri bona fide possidere *L. 32. §. 1. ff. de Usucap.* Inde jam ⁷² famosa resultat controversia: Si quis cogitatione sua certus non sit, sed dubius, an res sit aliena, an mox in malâ fide constituatur? Communiter distinguunt inter dubium præcedens acquisitam possessionem, & subsequens. Si ⁷³ dubium præcedat, vel adsit ante possessionis inchoationē, malam fidem inducit. Ratio, quia occupaturus rem, determinatè cogitare debeo, illam vel esse meam, vel nullius, & ita occupatione fieri meam: De hoc verò dubitans, iniquè ago eandem mihi arrogans, quam meam esse non certò cogito; hic enim, cum nondum possideam, mea conditio melior non est *Lessius. d. l. Dub. 3. n. 10. in fin. Strepban. à S. Paul. Theol. Moral. Tract. 4. Disp. 1. Dub. 6. §. fin. n. 57.* Sed potius me expono periculo tollendî rem alienâ *Andr. à Matr. Dei d. Punct. 9. §. 2. n. 114* unde ab initio positivè bonam fidem adesse debere notat *Zaf. ad ff. de Usuc. n. 59.*

G 3

Quan-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

Quaquam hic dissentiat, & nec dubium præcedens usucapionem vitare statuat *Fernand. Vasqu. illustr. Contr. L. 2. c. 77. n. 6.* Si dubium supervenerit, an salva maneat bona fides, magis disputant. Negat hoc *Dominic. à Soto de I. & I. lib. 4. Q. 5. Artic. 4. circ. fin.* subjectâ ratione, quod dubitans jam conscientia vulnus habeat, adeoque fides ipsius non est bona; nam bona idem est, quod sana ac quieta. Alii, ut *Covarruv. ad c. Possessor P. 2. §. 7. n. 3.* dubitantem nec bonam nec malam fidem habere contendunt; quos 75. refutat *Job. Goedd. ad L. 109. de V. S. n. 3.* Alii distinguunt inter dubium Practicū, an scil. possessor rem sine peccato retinere possit; Et Theoreticum, an scil. autor ipsius Doming fuerit. Illud in mala fide constituit, nō hoc, quia hujusmodi dubitans pro ignorante habetur *Hillig. in Donell. lib. 5. cap. 17. lit. A.* quod non improbat *Covarruv. d. l. n. 5.* & quamvis dubitet rem alienam esse, non tamen dubitat, se rem legitimè possidere *Job. Azor. Inst. Moral. Part. 3. lib. 1. cap. 76. 18. vers. in hac controversia. in fin.* Placet distinctio *Magnif. Dn. Brunnemann. in Exerc. 8. ad Inst. p. 66.* quorsum & collimat, *Dn. Struv. adff. Exerc. 43. tb. 12.* Utrum in hanc, an in contrariam opinionem dubitans inclinet magis, vix enim in æquilibrio subsistere potest dubitatio. Quod si 77. verò etiam in contrariam forte opinionem inclinet, magis putans rem esse alienam, diligenter de veritate inquirere debet; quod si verò accuratâ inquisitione adhibita dubius theoreticè in cogitationibus suis nihilominus remanserit, continuare possessionem poterit, cum in dubio ipsius, ut possidentis conditio melior sit *Less. d. Dub. 3. n. 12. in fin. Andr. à Matr. Dei d. §. 2. n. 13. in fin.* quod variis rationibus comprobat *Thom. Sanchez. de Matrimon. lib. 2. Disp. 41. n. 12. Add. Molina de J. & J. Tract. 2. Disp. 35. Layman.*

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR.

Laymann. de J. & J. lib. 3. sect. 5. Tract. 1. cap. 8. n. 10. Hoc 78.
minus dubii habet, si possessor sciat rem esse alienam, sed
dubitet cujus sit, Titium an Caii, eundem vitiose posside-
re. Scientia enim rei alienæ per se malam fidem inducit,
à qua error in persona non liberat *Azor. Inst. Moral. d. c.*
18. vers. Tertio quaritur.

Ab usucapione ad Donationē transimus, effectum Cogi-⁷⁹
tationis in eadem demonstraturi. Diximus vero in *cap. 1. n. 6.*
Donationē inter vivos & donationē mortis causa cogitatio-
ne distingui, ut si mortis cogitatione donaverit, donatio sit
mortis causa; si citra talem cogitationē, sit inter vivos §. 2. *L.*
de donat. l. 31. §. 2. vers. Rursus. ff. de donat. mort. caus. Additū
autem superius cit. loc. Cogitationem, si hunc effectum
habere debeat, verbis declaratam esse debere: Qualitas
enim donationis non ex cogitatione, sed verbis æstimanda
Donell. lib. 14. Comment. cap. 33. Quod limitant, nisi 80.
cogitatio illa mortalitatis aliunde sufficienter colligi po-
sit: E. G. si quis tempore pestis donaverit, mortis causa do-
nasse videtur, ut hoc non expresserit; Ex periculi enim
gravitate facile hæc cogitatio colligi poterit, quod mortis
causa donare velit *arg. d. l. 31. §. 2. vers. Rursus. Jacob Me-*
noch. de Presumpt. lib. 3. pres. 36. n. 10. Didac. Covarruv. Tom.
1. de Testam. Rubric. Part. 3. n. 36. in fin. Verum quia peri- 81.
culum mortis magis est causa donationis impulsiva, quam
finalis *Henric. Zæf. ad ff. d. t. n. 2.* hinc hoc admitto, si aliæ
præterinstans periculum mortis conjecturæ concurrant,
ut si quinque testes simul adhibeantur *Dn. Brunneman.*
Comment. Pand. ad L. 42. n. 6. ff. de donat. mort. caus. Nam
nec ipsa mortis cogitatio seu mentio expressa, semper do-
nationem mortis causa efficit, cum sæpius donatores
non tam mortis causâ quam morientes donent *L. 42. in*
fin. ff. d. t. Sæpius etiam non ipsa donatio, sed donationis
execu-

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

82. *executio in tempus mortis suspenditur, quo ipso donatio inter vivos esse non desinit Covarruv. d. n. 36. pr.* Sæpius quoque mortis mentionem faciunt, sed cætera hujus donationis requisita, utpote numerum testium legitimum non adhibent, ubi itidem potius inter vivos donatio censenda, ut scil. voluntas testatoris valeat, ac valere potest.
83. *Hillig. in Donell. lib. 14. c. 33. lit. D.* De Revocatione donationis ob supervenientiam liberorū quædam dicta *superius b. cap. n. 11.* Qua occasione hæc hic loci decidenda quæstio: An donator, qui de liberis suscipiendis cogitat, & nihilominus omnia sua bona donat, uti possit beneficio *L. si unquam*
84. *C. de Revoc. donat. ?* Et hoc negamus; cum enim ratio revocandi donationem communiter in eo collocatur; quia si de liberis nascituris cogitasset, non donasset; è contrario sequetur, si de liberis cogitavit & nihilominus donavit, non censetur in casu natorum liberorum voluisse revocare, alioqui hoc sibi per expressum reservasset. Non enim dubitandum est, donatorem posse remedio *L. si unquam* renunciare, in tantum ut revocare etiam ob susceptos liberos donationem non possit *Andr. Tiraquell. ad d. l. si unquam. Præfat. n. 87. Carpz. ov. p. 2. Const. 12. def. 33. n. 2. Zesf. ad ff. de donat. n. 108. Hillig. in Donell. lib. 14. cap. 32. lit.*
86. *B.* Liberi tamen post mortem hanc donationem inofficiosam dicere possunt, eousque, ut legitimam consequantur, hanc enim salvam habere debent *Dn Brunnem. Comm. C. ad d. L. si unquam. Carpz. d. def. 33. n. 5. Lud. Molina. de J. & J. Tract. 2. Disp. 282. n. 6.* Atqui talis renunciatio subesse videtur, quoties de liberis cogitando nihilominus
87. donavit *Tiraquell. ad d. L. si unquam Præfat. n. 64.* Sed an in dubio de liberis cogitasse præsumendus sit, non satis expeditum? *Doctores partim pro affirmativa, partim pro negativa*

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR. &c.

gativa pugnantes adducit *Tiraquell. d. l. n. 66. & seqq.* Ipse
verò distinctione litem componit *n. 69.* An scil. donatio
facta fuerit in Cœlibatu, vel jam contracto matrimonio :
An verò facta in ipso contractu matrimonii : Priori casu
in dubio de liberis cogitasse non præsumitur: Bene tamen
casu posteriori; qui enim matrimonium contrahit, verissi-
militer cogitat de liberis exinde procreandis, cum causa
finisque præcipuus matrimonii sit sobolis procreatio. Ubi
tamen præsupponimus ratione personarum matrimonio
jungendarum generandi aptitudinem; Senex enim de-
crepitus vix illa cogitatione matrimonium contracturus.
Verum cum hæc ipsa ex præsumptionibus dependeant, 89.
consultius donatario erit, si curet, donationis instrumento
cogitationem de liberis suscipiendis exprimi, vel aliàs eo-
rundem mentionem fieri; Non enim postea, se de liberis nõ
cogitasse, excipere poterit Donator, si in instrumento li-
berorum facta mentio *Tiraquell. d. l. n. 73.* Verum hic ite- 90.
rum occurrit dubitatio: An generalis liberorum Cogita-
tio sufficiat, an verò specialis necessaria sit? Generalem
cogitationem sufficere plerosque Dd. statuere asserit &
probat *Tiraquell. d. l. n. 78. & seqq.* Verum cum hic agatur 91.
de privatione juris Patri donatori competentis, quæ pri-
vatio magis restringenda, quam amplianda; Insuper juri-
um renunciatio nõ facile præsumatur, nisi de mēte ac cogi-
tatione renunciantis constet; non puto probandam illam
sententiam, sed potius specialem liberorum Cogitatio- 92.
nem pro excludendo hoc beneficio necessariã dico. Unde
in simili bene monet *Hieron. Zanch. in addit. ad Alexandr.*
Tartagn. lib. 3. Consil. 30. lit. c. quod generalis, vaga &
incerta Cogitatio non extendatur ad ea, quæ quis in spe-
cie verissimiliter non statuisset; secus, si appareat, quod in
specie & expressim cogitaverit de liberis. Et ita in terminis
H statuit.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

Statuit *Jafon lib. 2. Consil. 230. vers. quarto pro confirmatione.*
 93. *cit. à Tiraquell. d. l. n. 81.* Imò si generalis renunciatio
 omnium juriù non sufficit ad excludendù hoc beneficium,
 sed specialis esse debet, ex veriori sententia *Zaf. Comm. 2.*
ff. de donat. n. 109. Struv. Exerc. 40. tb. 16. in fin. & quos ci-
tat Tiraquell. d. L. n. 122. nec generalis cogitatio de libe-
 ris, sufficiens erit.

94. Ex his ipsis jam adductis facilè licebit judicare, quan-
 ta cogitationum in contractibus habenda ratio. In-
 dubio enim effectus expers erit Cogitatio, si neque verbis
 neque factis expressa: Certus enim vel ad minimum ex
 conjecturis esse debet contrahentium alter, quid alter
 fenserit, si exinde efficax nasci obligatio debet. Singulos
 contractus percurrere, operæ pretium non æstimo, cum
 pleraque ex illis quæ ab initio hujus capituli dicta, depen-
 95. deant. Saltem de eo hic solliciti erimus: An quod ab
 uno contrahentium cogitatum, pro expresso habendum sit?
 Ansam suppeditat Marcellus Jctus in *L. Triticum 94. ff. de*
V. O. ubi si triticum quis stipulatus, & de certo tritico
 96. *cogitaverit, id pro expresso haberi deciditur; Et breviter*
dicimus, quæstionem hanc negandam esse, ob certam
regulam, quod Cogitatio in mente retenta nihil opere-
 97. *tur vid. sup. n. 2. b. c. Nec in contrarium urget, quod Mar-*
cellus in d. l. Triticum habet; Cogitatum haberi pro ex-
presso. Intelligendus enim ille textus, non de cogitatio-
ne merè tali, quatenus mente absolvitur; sed de Cogita-
tione actu exteriori declarata. Et hoc verba finalia
dictæ legis clarè innuunt; Si cum destinare genus & modum
wellet, non fecit, nihil stipulatus videtur; hic utique de certo
genere tritici cogitavit, cogitatio enim destinationem
præcedat necessum est. Hinc si non ex resè destinaverit,
 etiam si

CAP. IV. DE EFFECT. COGITAT. IN CONTR.

etiā si postea dixerit, se de hoc vel illo genere cogitasse
 nulla erit obligatio; cum non destinatio mentalis, sed ver-
 balis in contractibus necessaria sit, ut de mente unius alte-
 ri constet. Contractus enim ex conventionione est. Conventio
 verò duorum in idem placitum & consensum involvit L. 1. §. 98.
 2. ff. de pact. quomodo verò consensisse circa idem dici pos-
 sunt, si quid mente cogitet alter, expressum non fuerit.
 Et hinc bene d. L. *Triticum* explicat *Donell. in Comment. ad*
d. L. n. 3. verba illa; *si stipulator de aliquo tritico cogitaverit*,
 ita intelligēdo: *si de certo tritico inter contrahentes actum*
fit. Obstare quidem videtur huic explicationi, quod in
d. L. Triticum dicatur; si stipulator de aliquo cogitaverit,
 id haberi pro expresso: Si enim jam antea cogitatio illa
 verbis declarata est, jam tum expressa est, nec pro tali de-
 mum habenda. Verum & huic dubio optimè satisfacit
Donell. ad d. L. n. 4. distinguendo inter verba conventionis
 & stipulationis; Sufficit cogitationem illam expressam
 esse in verbis conventionis stipulationem præcedentis; E.
 G. si ibi stipulator dixerit, se desiderare triticum Aphri-
 cum centum modiorum; promissor verò consentit;
 tunc si postea nudam illam pactionem ira deducant in sti-
 pulationem; *Dabisne mihi triticum?* Alter respondeat;
Dabo tibi triticum. Hic jam decisio Legis nostræ necessaria
 erit; quale ac quantum triticum intellexerint? Et respon-
 detur cum Marcello, quod illud pro expresso in stipulati-
 one habendum, de quo cogitavit, id est mentionem fecit
 antea, quam stipularetur. Ratio; quia quæ in præfationibus
 convenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repeti-
 ta creduntur L. *Titia* 134. §. 1. ff. de V. O. *Francisc. Cardinal.*
Mantica Tract. de Tacit. & ambig. Convent. lib. 3. Tit. 4. n. 1.
 seqq.

H 3

Contra

DISSERTAT DE JURE COGITATIONUM.

102. Contra quem verò in dubio, si non satis constat, quid cogitaverint partes, interpretatio fieri debeat, prolixum explicata foret; Brevibus tamen hanc controversiam ita componimus: Aut versamur in judicialibus actibus; aut in contractibus. Priori casu pro ipso confitente fieri debet interpretatio, ita ut, quod huic utilius, accipiatur *L. Si quis intentione 66. ff. de judic.* Unde & confessus, confessionem suam interpretari potest, de quonam senserit vel cogitaverit *Wammesf. Consil. jur. Canon. 575. n. 2. Petr. Barbosa ad tit. ff. de judic. d. L. 66. n. 8.* Posteriori casu, interpretatio fieri debet contra illum, qui Legem contractui potuit dicere apertius *L. Veteribus 39. ff. de pact.* Contractus enim minimè dependet ab unius voluntate. Ergo nec illius declarationi standum *Barbosf. ad d. L. 66. n. 33.* Sed potius illa interpretatio arripienda, quam verba exterius præ se ferunt, & in quam altera pars consensit; imputet enim sibi alter, quod clarius locutus non fuerit, *d. L. Veteribus.* Si tamen dubium incidens ex consuetudine regionis determinatum sit, exinde petenda interpretatio; quia in dubio mori regionis quisque se conformasse intelligendus est *L. semper 34. ff. de R. I. Cardinal. Mantica. Tr. de tacit. & ambig. Convent. Lib. 2. Tit. 4. n. 104. Conf. Dn. Brunneman. Comm. Pand. ad d. l. veteris ff. de pact. & ad L. cum queritur 26. ff. de Reb. dub.*

CAPUT V.

DE

Effectu Cogitationum in ultimis voluntatibus.

SUMMA-

SUMMARI A

- C**ogitationum ratio in ultimis voluntatibus habenda. n. 1.
- Voluntas testatoris ex ejus probabili cogitatione explicanda. n. 2.
- Cogitatio testatoris ex conjecturis, vel arbitrio boni viri dijudicanda. n. 3.
- Testator cogitasse praesumitur, quod verbis protulit. n. 4. & 6.
- In ambiguis saltem cogitatio testatoris inquirenda. n. 5.
- Regulae unde Cogitationes testatoris inquirenda. n. 7.
- Cogitatio testatoris juri conformis praesumenda. n. 8. & 9.
- Quod extenditur ad jus statutarium. n. 10.
- Testator cogitasse praesumitur ita ut testamentum valeat. n. 11. seq.
- Nisi verba manifesto repugnent. n. 13.
- Cogitatio testatoris ex facto subsequente cognoscitur. n. 14.
- Declaratur exemplo. n. 15.
- Cognoscitur etiam ex ordine scripturae. n. 16. seq.
- Quod limitatur. n. 18.
- Uti & ex contextu verborum, praecedentibus & subsequentibus. n. 19. seqq.
- Cogitatio dijudicanda ex consuetudine testatoris. n. 22. seqq.
- Vel ex Consuetudine Regionis. n. 24
- Cujus regionis consuetudo attendenda? n. 25.
- Si nec ex conjecturis de voluntate testatoris constet, ea corrumpitur. n. 26.
- Exempla subjiciuntur. n. 28.
- In legato rei alienae Cogitatio testatoris observanda. n. 29.
- Nisi conjunctio legatarum aliud spadeat. n. 30.
- Quid si testator cogitet rem esse alienam, qua sua est. n. 31.
- An plus valeat, quod in veritate est, quam quod in opinione? n. 32. seqq.
- Distinctio proponitur. n. 34.
- Donelli responsio probatur. n. 35.
- In genere legato, si testator de certa re cogitaverit, heredis est electio. n. 36. seqq.
- Si de Cogitatione constet, error nominis non attenditur. n. 38.
- Causa cogitata si falsa sit, non vitatur legatum. n. 39. seqq.
- Limitatur. n. 42.
- Qui testari voluit, sed non fecit, illius voluntas non attenditur. n. 44.
- Sed quid si cogitationes suas expresserit, sed solennius adhuc disponere voluerit an valeat ad pias causas? n. 45.
- Affirmativa decisio probatur. n. 46.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

1. **M**agnam Cogitationum Testatoris rationem habendam esse, in explicandis ultimis voluntatibus, nemò facile negabit. In tantum enim Jura detulere ultimis morientium voluntatibus, ut pro Jure easdem reputarint: Uti enim ex LL. XII. Tab. quisque rei suæ legasset, ita jus esto *pr. l. ad L. Falcid. l. 120. ff. de V. s.* Hinc liber supremæ voluntatis stylus, cum jam aliud velle non possint, esse debet *L. 1. C. de SS. Eccles.* Voluntas verò à Cogitationibus separari nequit; id enim quisque voluit, quod velle cogitavit. Unde merito hic præmittimus: Ultimam voluntatem ex probabili Cogitatione testatoris interpretandam esse; In hunc sensum conceptis verbis respondit Marcellus in *L. 24. ff. de Reb. dub.* ita inquires: *Cum in testamento ambigue aut etiam perperam scriptum est, benignè interpretari, & secundum id, quod credibile est cogitatum, credendum est.* Hæc verò Credibilis cogitatio vel ex conjecturis æstimanda; vel arbitrio boni viri interdum judicanda committitur *Cardinal. Mantica de Conject. ult. volunt. lib. 3. Tit. 2. n. 4.* Quorsum pertinet casus in *L. 27. ff. de Cond. & demonstrat.* ubi heredes Epitaphium certi generis exstruere jussi, ad tale tenentur, quale testator se demonstrare animo sensit; quod si hæc cogitatio explorari nequeat, pro substantia & dignitate defuncti, & perconsequens pro boni viri arbitratu extruendum. Uti enim prudens consilium testantis attendendum *L. Lucius 85. in fin. ff. de hered. inst.* ita, si de eo non constet, prudens boni viri idem supplebit arbitrium. Judicis tamen arbitrium hic non liberum erit, sed à Regulis Juris & probatis præsumptionibus regulandū erit *Job. del. Castillo Soto mayor de Conjectur. ult. volunt. sive lib. 4. Quotid. Controvers. cap. 18. n. 35.* quas regulas postea in *n. 8. & seqq.* ordine recensebimus.
4. Ita verò ad Cogitationes testatoris respiciendum, ne verba ab ipso prolata negligantur. In dubio enim testator id co-

CAP. IV. DE EFFECT. COGIT. INULT. VOLUNT.

id cogitavit, quod verbis protulit, cum nemo dixisse
præsumatur, quod non prius mente cogitaverit; Et quavis
mens seu cogitatio sit voce potentior, nemo tamen sine
voce dixisse existimatur *L. Labeo 7. in fin. ff. de supell. legat.*
Cum ergo cogitationes animi verbis exprimentur, testator
quoque idem, quod verba inferunt, voluisse præsumitur.
Hinc non aliter à proprietate verborum recedendum, 5.
quam si manifestum sit, aliud sensisse vel cogitasse testato-
rem *L. Non aliter 69. pr. ff. de Legat. 3.* Et quando in verbis
nulla est ambiguitas, non est admittenda cogitationum
vel voluntatis quæstio *L. 25. §. 1. ff. d. 1. Dn. Brunneinan. in
Comment. ff. ad L. 3. n. 5. de Reb. dub.* unde & Marcellus ad
credibiles Cogitationes tunc recurrendum esse voluit, si
quid in testamento ambiguè scriptum *l. 24. ff. de Reb. dub.*
Quoties enim verba perspicua, si aliud cogitasset testator, 6.
aliud etiam disposuisset, *Cardinal. Mantica. de Conject. ult.
vol. lib. 3. tit. 2. n. 7.* Et hinc illa testatoris mens ac cogitatio
fuisse præsumitur, quam verba præ se ferunt *Didac. Roderic.
Alvarado. de Conject. ment. defunct. lib. 4. c. 2. n. 1.* Non enim
credibile est, aliud cogitasse testatorem, quàm quod ver-
ba sonant; cum nullum majus mentis nostræ testimoniū
adsit, quam qualitas inspecta verborum *Petr. Anton. de
Petra Tr. de Fideicommiss. Quæst. 9. n. 41.*

Cum verò plerumque verba in alium sensum de tor- 7.
queri possint; Unde & interpretationem voluntatis de-
functi, præsertim tacitæ, plenam periculi esse, & persæ-
pe in illius cognitione nos errare, bene monet *Simon de
Pratis de interpr. ult. volunt. lib. 1. Interpr. 1. Sol. 2. n. 5. f. 11.
& cum citans Job. Del. Castillo. Soto mayor. Controvers.
Quotid. lib. 4. P. 1. cap. 18. n. 24.* Dicimur enim ambulare in
tenebris, quando ægitur de interpretanda mente ac Cogi-
tatione testatoris, cum quo nos ipsi locuti non sumus, &
qui modò non potest mentem suam aperire. *Petr. Anton.
de Petra*

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM

de Petra de Fideicommiss. Quæst. 9. n. 28. Cautè ergo hic procedendum, cum non sit somnianda testatoris mens & voluntas, uti post Alciat. lib. 9. Consil. 44. n. 33. Augustin. Beroum. vol. 2. Consil. 67. n. 8. notat. Del. Castil. d. cap. 18. n. 36. Ne ergo injuria dispositioni defuncti fiat, certæ quædam regulæ

8. in æstimandis his cogitationib9 subjiciendæ. (1.) Cogitatio testatoris in dubio juri conformis præsumenda. Quamvis enim provisio hominis faciat cessare provisionem Legis arg. L. fin. C. de pact. convent. Menoch. lib. 4. Præf. 41. n. 13. Attamen si de provisione hominis non constet, ad ductum Legum judicandum, quibus homo voluntatem suam sub-

9. misisse præsumitur: Hinc semper testator præsumitur cogitare & velle secundum ordinem & dispositionem Legis, Alexandr. Tartagn. lib. 4. Consil. 76. n. 4. Et hoc extenditur

10. etiam ad jus municipale, ut testator in dubio suam dispositionem Statutis conformare voluisse credendus sit. Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præsumpt. 202. n. 10. & ab hoc citati. Uti enim observantia juris communis ibi cessat, ubi speciale quoddam per statuta locorum receptum; Ita testator quoq; ita voluisse præsumendus est, uti secundum Statuta, velle licebat. Unde non attendenda Bald. in L. quicumq; n. 11. C. de Serv. fugit. & aliorum à Menoch. d. Præf. 202. n. 12. in med. allegatorum opinio, existimantium, si statutum juri communi contrarium, testatorem potius secundum jus commune, quam secundum statuta disponere voluisse. Potius enim statutis semet conformasse videtur, quam juri Communi per statutum mutato. Hæc omnia verò, quod testator ad ductum juris disposuisset præsumendus sit, tamdiu obtinent, quamdiu ex verbis contrarium non apparet; Non enim impropriada sunt verba, ut testatoris voluntas cõformis sit dispositioni Legis Andr. Alciat. de præsumpt. Reg. 3. Præf. 32. n. 1. Menoch. d. Præf. n. 13. vers. Et si contrariam. Tali enim casu ob verba clara non amplius opus est conjecturis Alexandr. Tartagn. lib. 7. Consil. 167. n. 8.

(2.) Testator

CAP.V. DE EFFECTU COGIT. IN ULT. VOLUNT.

(2.) Testator disponendo id cogitasse præsumitur, ut te-
 stamentum potius valeat, quàm pereat, per *L. quoties 12.*
ff. de Reb. dub. Didac. Roderic. de Conjecturat. ment. defunct.
lib. 4. cap. 2. n. 6. quæ præsumptio in manifesta ratione
 fundata: quia nemo præsumitur eam elegisse viam, per
 quam ejus judicium possit subverti *L. 3. ff. de testam. milit.*
Alciat. de Præsumpt. Reg. 3. præf. 35. Cephal. Consil. 35. n. 49.
Carpzov. Part. 1. Decis. 42. n. 16. Menoch. lib. 4. Præsumpt. 104.
n. 9. Sed hoc meritò limitatur, ut procedat saltem in ca-
 su, si verba testatoris in utrumq; sensum torqueri possint;
 tunc enim ille sensus potius accipiendus, qui caret vitio,
 & per quem actus secundum aliquam, etiam impropria
 verborum significationem, possit sustineri. Quod si verò
 verba planè eò trahi non possint, tunc accipiendum id,
 quod ex verbis colligitur, etiamsi actus reddatur invicilis
Cardinal. Mantica de Conjectur. ult. Vol. lib. 12. tit. 17. n. 13.
circa fin. (3.) Testatoris Cogitatio ex facto subsequente
 dijudicanda. Sicuti enim in genere Cogitationes ex fa-
 ctis præcedentibus & subsequentibus colliguntur, uti dixi-
 mus *c. 2. n. 29. sq.* ita idem obtinet in materia testamentaria,
 quod prolixè explicantem vide *Didac. Roderic. d. Tract.*
lib. 3. cap. 2. §. 1. & lib. 4. cap. 3. tot. Si enim factum verbis
 contrarium subsequatur, mutasse animum ac cogitatio-
 nem testator præsumitur. Exemplum est in *l. 18. ff. de*
adimend. legat. ubi si rem legatam alienaverit testator,
 mutasse voluntatem, & revocasse legatum præsumitur,
 ex facto enim hoc alia testatoris cogitatio elicitur. *Didac.*
Roderic. lib. 3. c. 2. §. 1. n. 15. nisi aliundè constet, adimendi
 animo hoc à testatore factum non esse *§. 12. l. de Legat. &*
ibi Dd. Sic nomine legato, si idem vivus testator exigat,
 exinde mutata voluntas colligitur *L. 75. §. 2. ff. de Leg. 1.*
 (4.) Col:

DISSERTAT. JURE COGITATIONUM.

16. (4.) Colligitur cogitatio defuncti ex ordine scripturæ. Si enim duobus Titio & Mevio alternis annis usumfructum legaverit, nec declaraverit, quis eorum prior usumfructum percipere deberet, hæc ipsius cogitatio fuisse præsumitur, ut quo ordine eos nominavit, eo ordine ad perceptionem admittantur. *L. Quotiens. 34. ff. de Usufruct.* Quod enim prius est in scriptura, id etiam prius fuit in intentione ac cogitatione *Did. Roderic. d. l. 4. cap. 2. n. 12.* Ordo enim verborum designat ordinem intellectus *Surd. de aliment. tit. 5. Q. 4. n. 17.* Et quod prius in voce, prius etiam in sensu *Matth. Wesenbec. Vol. 1. consil. 41. n. 72.* Hoc tamen uti dictum, procedit in casu dubio; Si enim alia ratione de mente ac voluntate testatoris constet, tunc non poterit ordo scripturæ pervertere ordinem juris, & ordinem voluntatis testatoris *L. cum pater 77. §. 12. ff. de Leg. 2. Carpzov. Part. 2. consil. 33. def. II num. 5. Conf. Card. Tusch. Pract. concl. Tom. 5. lit. O. Conclus. 196.* (5.) Cogitatio testatoris colligi poterit ex scripturæ contextu, verbisq; ipsius testamenti *L. 75. ff. de Leg. 3. l. 44. in fin. ff. de manum. testam.* Nam ex præcedentibus & consequentibus testamenti conjectura capi potest de testatoris mente *L. 50. §. fin. ff. de Leg. 1.* Unde & verba in una parte testamenti ita intelligi debent, prout testator in alia parte ejusdem testamenti talibus verbis usus *Cardin. Mant. lib. 3. tit. 9. n. 3.* Quod eousq; extenditur, ut & verba, quibus testator usus, dum volebat condere testamentum, etiamsi postea omiserit, mentem ipsius ac cogitationem declarent, si per testes probari possint. *Didac. Roderic. d. lib. 4. c. 2. num. 40.*
21. *Uterius (6.)* Cogitatio dijudicanda non ex verborum cortice, sed testatoris consuetudine. Verba enim valent sicut nummi, & sæpius ex consuetudine uniuscujusq; negotiis alienis minus commode applicantur; Cum verò Cogitationes

CAP. V. DE EFFECT. COGIT. IN ULT. VOLUNT.

tiones & sensa mentis verbis exprimenda, non uti alius, sed uti ipse proferens verba intelligere solet, eadem interpretanda. *L. 50. §. fin. ff. de Leg. 1. Cardin. Mantio. de Conject. Ult. Vol. lib. 3. tit. 9. n. 1.* Et quamvis nemo videatur dixisse, qui non suo nomine i. e. verâ nominis significatione, usus, per *L. Labeo 7. in fin. ff. de Supell. legat.* Interim tamen nomina mutationem recipiunt, nec semper idem significant, sed pro diversa acceptione variant; sufficit ergo, constare satis, qua consuetudine testator voce uti solitus fuerit. *Add. L. 75. ff. de Legat. 3. L. 21. §. 1. in fin. ff. qui rest. fac. poss.* Demum (7.) Cogitatio testatoris ex consuetudine Regionis colligenda. *d. L. 21. §. 1. L. 50. in fin. ff. de legat. 1.* Ita enim animi sensa verbis exprimere præsumitur testator, prout in illa regione moris est. Variant quidem, an attendenda sit consuetudo regionis ex qua originem habuit testator; an ubi versatus; an demum ubi testatur. Breviter dico: Consuetudinem loci ubi potissimum conversatus in vita fuit testator, esse inspiciendam, & hoc per *L. 50. in fin. ff. de legat. 1.* Probabile enim est, recepisse testatorem consuetudinem loquendi illius loci, in quo maximam vitæ partem transegit. Quod si de hac regione non constet, mos illius loci, ubi oriundus est ac educatus testator, attendendus, *Mantio. de Conject. Ult. Vol. lib. 3. tit. 8. n. 7. Alexand. Vol. 7. Consil. 131. n. 4.*

Ex his ipsis, quid in conjecturandis defuncti cogitationibus attendendum, facile constabit: Quod si verò nihilominus incerta maneat Cogitatio, nec ex aliis conjecturis suppleri possit, voluntas testatoris corrui. Casus est in *L. Duo sunt Titii 30. ff. de testam. tut.* Ubi Titius Tutor datus est; cum verò duo Titii adessent, nec apparet, de quo Testator cogitaverit, Paulus Jctus ita respondet:

DISSERTAT. | DE JURE COGITATIONUM.

- det: Is datus est, quem dare se testator sensit; si id non apparet, non jus desicit, sed probatio: igitur neuter est tutor.
28. *Vid. Montan. de Tutel. c. 10. n. 21. seqq.* Idem obtinebit, si duobus ejusdem nominis res legata sit; *Jacob. Cujac. ad L. 37. §. 1. ff. de Legat. 1.* quod si tamen unus horum legatariorum rem bona fide nactus sit, ac existimaverit, de se cogitasse testatorem, pro legato rem usucapere poterit *L. 4. in fin. ff. pro legat.*
29. Ulterius in Legatis Cogitationum habenda ratio. Sic si res aliena legata, quod jura permittunt §. 4. *I. de legat.* non aliter valebit legatum, quam si sciverit rem esse alienam; Si enim non cogitasset rem suam esse, & ita legasset, non valebit legatum, *l. 10. C. eod.* Succursum enim est heredibus, ne cogentur redimere, quod testator suum existimans reliquit. Facilior quippe testatoris voluntas est in legandis rebus suis, quam alienis comparandis & onerandis heredibus. *l. 67. §. 8. ff. de Legat. 2.* Nisi tamen conjunctio personæ Legatarii, aliam testatoris mentem fuisse, suadeat, *d. l. 10. C. de legat.* Etiam si enim hic testator ignoraverit esse alienam, non tamen presumitur ob sanguinis vinculum mutaturus voluntatem. *Menoch. de Presumpt. lib. 4. Pres. 116. n. 15.* quod & in Legato rei alienæ ad pias causas relicto extendunt *Dn. Brunnem.*
30. *Comm. Cod. ad d. l. 10.* E contrario, si quis cogitaverit rem esse alienam, quæ tamen propria ipsius est, valebit legatum; §. 11. *I. de Legat.* Si enim gravare voluit heredem, ut rem alienam redimeret; multò magis eundem gravasse censetur, ut rem testatoris propriam præstaret; quia
31. ita facilius exitum voluntas testatoris habere potest. Aliam rationem ibi subnectit Imp. quod plus valeat, quod in veritate est, quam quod in opinione *d. §. 11. cui respondet l. 4. §. 1.*

CAP. V. DE EFFECT. COGIT. IN ULT. VOLUNT.

l. 4. §. 1. ff. de Manum. Vind. Nam potius substantia rei in-
tuenda, quam opinio l. 2. §. 2. ff. pro emptor. & quoties in-
specta veritate potest valere dispositio, toties falsa opinio
eamdem non vitiat. Cardin. Mant. de Conject. Ult. Volunt.
lib. 3. tit. 10. n. 3. Verum hanc rationem dubiam reddit 33.
textus in l. 15. ff. de Acquirend. hered. ubi plus esse dicitur,
quod in opinione est, quam quod in veritate. Distin-34.
gvunt Dd. inter opinionem ex errore juris ortam; & ex
errore facti. Illo casu plus valet opinio, cum error jur-
ris nemini prodesse debeat l. 9. pr. ff. de Jur. & fact. ignor.
E contrario si in facto erret, ut si non credat venditorem
esse Dominum, plus valet quod in veritate est, quam quod
in existimatione d. l. 9. §. 4. ff. d. t. Anton. Matthai ad §. 11.
l. de legat. Et talis error facti etiam est in testatore, rem
suam pro aliena legante. Verum cum hic in facto pro-35.
prio erret, qualis error improbabilis; magis placet con-
ciliatio Donell lib. 8. Comm. cap. 11. in fin. quando ita pro-
ponit Regulam: Quoties falsa opinio gerenti non obstat,
quo minus velit & possit id, in quo errat, plus est in veri-
tate: & de hoc §. 11. J. de legat. intelligendus. Quoties ve-
rò impedit, quò minus fiat, quod fieri poterat, si quis sci-
ret, quod in re est, plus est in opinione; quorsum spectat
l. 15. de Acquir. her. Ubi cogitans se necessarium heredem
esse, impeditur repudiare hereditatem, quod potuisset
facere, si scivisset se esse voluntarium. Add. Dn. Brunnem.
Comm. Pand. ad l. 15. n. 4. ff. de Acquir. hered.

Porro in Legatis Cogitationum habenda ratio, si ge-36.
nus aliquod legatum; Quamvis enim hic Electio ordina-
riè competat Legatario §. 22. l. de Legat. quod si tamen te-
stator de fundo certo senserit, nec appareat de quo cogi-
taverit, electio heredis est, quem velit dare L. 37. §. 1. ff. de
legat.

37. *Legat. 1.* Sic enim nemo melius mentem ac cogitationem testatoris explicabit, quam ipse heres *Zafius ad L. 32. §. 1. ff. d. t. Dn. Brunneman. Exerc. Justin. 13. ad §. 22. de Legat.* Quoties itaq; obscuritas testatoris interpretem habet, non vitiabitur dispositio *Jacob. Cujac. Tom. 2. Oper. ad*
38. *L. 37. §. 1. de Legat. 1. in fin.* Ulterius in Legatis adeo cogitationis habenda ratio, ut nominis error legatum non vitiet, modò aliàs de voluntate & cogitatione satis constet *§. 29. l. de Legat. Excipitur tamen error in nominibus appellativis L. 4. ff. de Legat. 1. Conf. Petr. Heig. in Comment. ad*
39. *d. §. 29. l. de Legat. n. 10.* Sed qui fit, quod si quis cogitarit. Titium sua negotia gessisse, & ob hanc causam ipsi legaverit Centum, hoc legatum subsistat, etiamsi cogitatio
40. sit erronea? Resp. Falsa causa propterea non nocet, quia ratio legandi legato non cohæret *L. 72. §. 6. ff. de condit. & demonstrat.* Nam Legatum ex mera liberalitate proficiscitur, hinc & sine causa subsistere potest; Insuper causam cessans toties actui impedimento est, quoties illa causa est finalis, non impulsiva ut hoc loco. *Heig. d. Comment. ad §. 31. de Legat. Bachov. Comm. Inst. ad §. Si quidem in nomine*
42. *n. 2. d. t.* Quod si tamen heres probare posset, testatorem non illa cogitatione fuisse, ut si scivisset causam esse falsam, nihilominus legasset, repellere Legatarium doli exceptione poterit *d. L. 72. §. 6. ff. de Condit. & demonstrat.* quæ probatio ex verisimilibus conjecturis capienda, quorsum benè refertur, si testator cogitaverit Legatarium sibi Cognatum esse *L. 4. C. de hered. instit. Heig. ad d. §. n. 6.*
43. Plura ex materia ultimarum voluntatum adduci possent exempla, ubi magna Cogitationum habenda ratio, sed brevitatis causa illa mittimus, cum ex superioribus facilè decidi possint. Unicum saltem *Coronidis loco hoc*

CAP. V. DE EFFECT. COGIT. IN ULT. VOLUNT.

co hoc capite subnectimus: An cogitatio illius, qui testa-⁴⁴
ri voluit, testamentum tamen non fecit, sit attendenda? Et
hoc utiq; negamus, cum non sufficiat in testatore voluisse,
sed requiritur, ut etiam disposuerit *Bald. ad L. quidam cum*
filium ff. de hered. inst. Et voluntas testatoris dispo-⁴⁵
sitiva tantum attendenda *Didac. Roderic. Alvar ad. de Con-*
ject. met. def. lib. 1 c. 2. n. 6. Sed quid si cogitationes suas eousq;
expresserit, ut vim aliquam dispositionis habere possint,
nihilominus tamē solenniorem dispositionem condereē vo-
luerit, sed morte præventus non potuerit, an sic cogitatio
illa satis declarata attendenda? Casus hic esto; Aliquis Ec-
clesiam heredem instituere voluit, & hanc suam mentem
in chartam satis perspicuè coniecit, eandemq; aliis duo-
bus exposuit, se hoc seriò cupere, & solenne testamen-
tum desuper conficere velle; sed morte præventus non
potuit; An schedula illa, & testium depositio ad volunta-
tem defuncti pro valida sustinendam sufficiant? Et hoc⁴⁶
affirmatur; Ut ut enim solenniter non disposuerit, tamen,
quantum ad piam causam sufficienter satis disposuit.
Quamvis igitur voluerit adhuc aliter testari, non tamen
voluit aliud testari, hinc priori voluntati, quæ ex privile-
gio piæ causæ sustineri potest, non renunciavit, cum ne-
mo censeatur viam elegisse ad impugnanda sua iudicia.
l. si miles 3. ff. de Testam. milit. Du. Brunneman. Comment.
Pand. ad d. l. 3. num. 2.

CAPUT VI.

DE

Delictis & poenis Cogita-
tionum.

SUM.



SUMMARIA.

- D**elicta cogitationum ex gradibus estimanda. n. 1.
 Motus Cogitationum primò primi Moralibus extra peccatum sunt. n. 2.
 Aliud in motibus secundò primis. n. 3. & 6.
 Delectatio morosa non uniformis est. n. 4.
 Cogitatio cum volitione conjuncta turpior. n. 5.
 Cogitationum gradus quomodo à nostris Theologis distingvantur. n. 7.
 Motus primò primos peccata esse sub distinctione defenditur. n. 8. seqq.
 In foro exteriori Cogitationes actus elicitos non egressa, sunt impunita. n. 12.
 Etiam si in cogitans plena delicti volitio & intentio adsit. n. 13.
 Rationes subjiciuntur n. 14. sq.
 Limitatio in Crimine Hæreseos. n. 16.
 Quae limitatio sub restrictione saltem admittitur. n. 17. sq.
 Nec in Crimine majestatis nuda cogitatio punitur. n. 19.
 Explicatur verbum Cogitaverit ex L. 5. C. ad L. Jul. Maj. n. 20.
 An & quomodo puniendus, qui verbis exprimit, se contra securitatem Principis vel Reip. quid cogitare. n. 21.
 Distinctè respondetur. n. 22. seqq.
 Sola cogitatione furtum non committitur. n. 24.
 Etiam si quis conclave animo furandi ingressus. n. 25.
 Quid in cogitante de aliquo ex Ecclesia extrahendo. n. 26.
 Cogitatio, quoties factum exterius accessit, punienda. n. 27.
 Quando Conatus pro delicto consummato habendus? n. 26. & 33.
 Distinguitur. n. 29.
 Penitentia quando à pena liberetur. n. 30.
 Conatus, si jam tum delicti naturam assumpserit, puniendus, num. 31. seqq.
 Impedimento secuto conatus pena est ordinaria. n. 34. seqq.
 Quod secus de Consuetudine. n. 36.
 Delicta ex Cogitationibus dijudicanda. n. 37.
 An actus exterior augeat malitiam cogitationum. n. 38. seqq.
 An in delictis voluntas ac cogitatio inspicienda, an exitus? n. 41.
 Distinctè respondetur. n. 42.
 Eventus felicior minus panam. n. 43. seqq.
 Si eventus infelicior, exitus attenditur, non cogitatio. n. 45.

In 17

CAP. VI. DE DELICTIS & POENIS COGITAT.

In re illicita tenetur quis de omni
eventu n. 46. seq.

Modo eventus non planè sit ex ac-
cidenti n. 48.

Quid si quis cogitet se delinque-

re, cum tamen non delinquat.
n. 49.

Declaratur exèplo furvi. n. 50 seq.
Ut & exemplo illius, qui cogitat se
adulterium committere. n. 52.

seqq.

D Elicta an Cogitationibus committi possint, pri-
us videndum, quàm de poena inquiramus; Meri-
tò autem sòrum interius à foro exteriori separa-
mus, cum diversa in utroque cogitationum ha-
beatur ratio. In foro interiori Cogitationum gradus di-
stinguendi, & exinde peccata Cogitationum judicanda.
Notavimus verò *supr. cap. 1. n. 12. & seqq.* Moralistas Cogi-
tationes pro diverlitate motuum interiorum æstimare; 2.
Motus primo primos omni culpa carere dicunt, quia e-
jusmodi motus omnem deliberationem rationis præveni-
unt, & hinc in hominis potestate non sunt, nec per conse-
quens peccati nomine venient *Job. Azor. Inst. Moral. Tom.*
1. lib. 4. cap. 5. §. Secundo queritur. Joseph. Gibalin. in Scient.
Canon. & Hieropolit. Tom. 3. lib. 8. cap. 2. Princip. 1. Q. 5. n. 3.
in fin. Add. Menoch. de A. I. Q. Cas. 360. n. 2. Farinac. Q. 124.
n. 105. Motus secundo primi, qui quamvis plenam, non ta-
men omnem mentis deliberationem anteverrunt, ali- 3.
quid voluntarii habent, & hinc nec sine peccato sunt *Azor.*
d. l. vers. Tertio queritur. Quod peccatum eò gravius est,
quo motus hi magis transeunt in primo secundos, sive ma-
gis cogitationibus ejusmodi infixus hæreo, & quo majori
inclinacione ac desiderio in tale delictum provehor. De- 4.
lectatio enim, uti appellant, morosa, quæ ex cogitatione
rei malæ resultat, non una ratione absolvitur; Interdum
enim speculativa saltem est, quoties cogitatio occupata
circa

K

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- circa modū delictū aliquod singulari ratione consummādi; Interdum ipsum opus respicit insimul; cui inclinatio ad opus tale perficiendum accedit. Vid. *Stephan. Fagund. de I. & I. ad 9. Præcept. Decal. cap. 1. n. 15.* Ultimum hoc gravius est, quia cogitatio hic extenditur ad peccatum mortale volitum & præcognitum, hinc quantum ad actum animi interiorem, peccatum est consummatum. Huc spectat illud Salvatoris *Matth. 5. v. 28.* quando dicit: *Quicumq; aspexerit uxorem ad concupiscendum eam, jam adulterium.*
6. cum eā commisit in corde suo. Conveniunt tamen pleriq; Pontificiorum nobiscum, motus secundo primos peccati nomine venire, quanquam sibi non consent, an ad mortalia an venialia peccata referre debeant, de quo vid. *Sanchez. Tom. 1. Decal. lib. 1. c. 2. n. 4. & seq. Azor d. lib. 4. cap. 6. Q. 1.* Placent hac de re verba Augustini *lib. 12. de Trinit. c. 1.* quando ita inquit: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum valibus oblectandi, solius Cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Nostrates Theologi secuti sacram paginam *Jacob. 1. v. 14. sq.* Cogitationum gradus optimè declarant simili à semine desumpto, dum hos quatuor actus constituunt (1.) Seminificationem, qua idea aliqua appetitum provocans menti objicitur. (2.) Seminis effusi conceptionem, seu idea illius admissionē & delectationē (3.) Seminis concepti fomentū, seu de peccato perficiendo Consultationē & intentionē, (4.) Partū ipsū seu peccatū opere externo proditū *Vid. Joh. Conrad. Danbawer. Colleg. Decalog. ad Præcept. 9. §. 3. pag. 947.* In tribus posterioribus actibus res expedita; Sed 3. de primo actu, scil. seminificatione, seu motibus primo primis non conveniunt. Pontificii hic nihil peccati subesse.

CAP. VI. DE DELICT. ET POEN. COGITAT.

esse, sed prorsus à culpa vacare dicunt. *Vid. Azor. inst. mor. d. lib. 4. cap. 5. Quest. 2.* Et id quàm maximè si de regeneratis quæstio sit, in quibus ejusmodi motus Cogitationum peccata non esse dicenda, sub anathemate decisum in *Concil. Tridentin. Sess. 5. Add. Bellarmin. de Amiff. grat. & Stat. peccati lib. 5. cap. 7.* Verùm Augustanæ Confessionis addicti, meritò hic divortium à Pontificiis faciunt, etiam motus primo primos, seu seminificationem pro peccato reputantes, sub hac tamen distinctione: Aut enim quæstio est, de idea externa animo objecta, per se non malà, quàm tamen Satanas in tentando abutitur: Aut de idea inclinant ad malum, & titillante ante rationis advertentiam. Priori modo res sine peccato est; nam simplex rei apprehensio peccatum non involvit, cum & Salvatori nostro talia contemplanda objecerit quando Satanas *Matth. 4. v. 1. seq. Guilielm. Amef. de Conscient. lib. 3. cap. 20. Q. 2.* Posteriori modo peccatum est, uti prolixè probat *B. Dn. Danbauer. d. l. §. 5. p. 950.* ad quem breviter gratia, ne in Theologorum castra transeamus, nosmet remittimus, cui addatur *D. Arnold. Menger. in Scrutin. Conscient. Catechet. cap. 13. Q. 2. Frideric. Balduin. de casib. Conscient. lib. 3. cap. 4. Cas. 8. n. 5.*

Ita in foro interiori cogitationum delicta paucis consideravimus; Jam quid in Foro exteriori obtineat, videndum. Breviter verò dicimus Delicta Cogitationum, quatenus actus mentis elicitos non egrediuntur, seu quatenus in terminis cogitationū manent, in foro exteriori nō attenduntur nec puniuntur: De internis enim nec judicat Ecclesia, nec cognoscit iudex Civilis. Huc spectat Germanorū illud: *Die Gedanken sind Zollfrey.* Et hoc sensu intelligendus *JCtus,* quando in *L. 18. ff. de poen.* dicit: Cogitationis poenam.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

- nam neminem pati; *Farinac. Q. 124. n. 104. Anton. Matth. de crimin. Prolegom. cap. 1. n. 5.* Quod non saltem procedit in Cogitatione vaga, de delicto aliquo perpetrando, sed & in plena delicti volitione & intentione; Etiam si enim hæc intentio casu aliquo, ut pote per confessionem subsecutam, ad notitiam aliorum pervenerit; puniri tamen ab homine non potest; Cum naturæ humanæ congruum non sit, ut ex actibus merè internis jus aut obligatio inter homines nascatur. *Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 18.* Peccata enim, quæ Civilem societatem non lædunt, extra Civilem Jurisdictionem sunt, hinc de illis jus dici nequit *Dn. Ziegler. ad Grot. d. c. 20. §. 39. p. 464.* Verum uti in limitationibus formandis faciles sunt Dd. ita nec hanc Regulam, de nuda cogitatione non puniendam, illimitatam reliquere; *Vid. Bartolom. Tegius Tr. Criminal. P. 2. n. 3. seqq.* Inter alia enim limitant illam in Crimine Hæresios, si quis cogitatione sua hæresin apprehendat, eamque mente retineat; ob rationem, quia crimen hæreseos perficitur sola opinione & cogitatu stabilito *Jul. Clar. Pr. Crim. Q. 91. n. 1. Cardinal. Tusch. Pract. Concl. Tom. 1. lit. C. Concl. 409. n. 3. Jacob. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. Cas. 360. n. 6. Bald. in L. Si quis non dicam rapere n. 1. C. de Episc. & Cler. Farinac. Oper. Crim. Q. 124. n. 114.* modo ulla ratione Magistratui illa cogitatio hæretica innotuerit *Menoch. d. l. n. 8.*
17. Verum non admittimus hanc exceptionem, hæresin inter terminis Cogitationis manentem puniendam esse; Nec enim alicui imponi potest necessitas credendi quod nolit, vel quod velit non credendi *Dn. Ziegler. ad Grot. d. lib. 2. cap. 20. §. 39. verb. Quia & circa res divinas: Quod si tamen hæreticas suas cogitationes spargat, & ita periculum seductionis substat, respectu hujus facti exterioris puniri poterit; Immo*

CAP. VI. DE DELICT. ET POEN COGITAT.

Imò nec hoc negandum, eatenus hæres in animo retentam
attendendam esse, ut pœna pœnitentialis, sive satisfactio
Canonica iungatur, qua ratione superiorem Julii
Clari opinionem restringit *Job. Gœd. ad L. 225. n. 6. ff. de V. S.*

De Crimine Majestatis disquirere solent, annon ibi
nuda cogitatio de tali crimine committendo punienda? ^{19.}
Verum & hic communior negativa est, si Cogitatio vel
Consilium mentis in nullam mali externi speciem erupe-
rit *Gœdd. d. n. 6. Jul. Clar. d. 2. §. 1. n. 1. Tusch. d. Concl.*
409. n. 2. Antea enim quieti ac securitati publicæ nullum,
imminet damnum, quàm Cogitatio foras prorepat, hinc
neq̄ antea animadversionem meretur. Unde apparet lati-
us cogitandi verbum in *L. 5. C. ad L. Jul. majest.* capien-
dum esse, quando dicitur: quod illi Majestatis teneantur,
qui de necesse virorum illustrium cogitaverint; scil. ita, ut
hanc cogitationem factò quodam exteriori jam tum de-
claraverint *vid. supr. cap. 1. n. 4.* Quid verò si quis hanc in-
tentionem suam, contra securitatem Reip. vel Principis
quid moliendi verbis exprimat, annon ita puniri potest?
Id negandum videbatur, per ea quæ ex Grotio notavimus
antea *n. 14.* Verùm distinctione hæc res sopienda: Aut e-
nim quis exprimit cogitationes præteritas aut præsentis.
Illæ, ut pote si dicat sibi aliquando in mentem venisse, ut
necaret Principem, impunitæ sunt, præsertim si confessio
simul prodatur pœnitentiam, vel eo loco non dicat, quo alii
ad tale scelus instigari possint. Hæ, si dicat, se in præsentis
ea mente esse, ut infidias Principi struat, non erunt im-
punitæ; ut ut enim ad nullum factum exterius processerit,
mentem tamen suam malevolam satis declaravit; quæ
ipsa declaratio jam tum id efficit, ne res meræ cogitationis
dicatur: Si enim verba injuriosa merentur pœnam; quidni
verba

K ;

verba

- verba rebellionem sapientia. Providendum & hic Reip.
ne quod verbis præ se fert, facto impleat degener Civis;
hinc ne serò medicina paretur, sine dubio in carcerem tra-
hi, & præmissa ulteriori inquisitione, & circumstantia-
rum habitatione, ad frugem reduci debet.
24. In aliis delictis omnibus idem obtinet, quod sola
cogitatio in foro exteriori neminem delicti reum efficiat;
unde optimè Paulus notat in *L. 1. §. 1. ff. de furt.* Sola cogi-
tatio furti faciendi, non facit furem. Furtum enim non
fit sine contrectatione; Contrectatio actu interiori non
absolvitur, sed exteriori opus habet; hinc nec animo
furtum committitur *L. 3. §. 18. ff. de Acquir. vel omitt. pos-
sess.* Quod eousq; extenditur, ut etiam si furti faciendi
caussa intraverit, nondum tamen fur sit, si nihil contrecta-
verit, quæ secus se habent in foro interiori *Farinac. Q. 124.
n. 109.* quanquam ingressum in alienas ædes furandi ani-
mo non ferat impunitum *L. 21. §. 7. ff. de furt.* Alia deli-
ctorum genera percurrere pretium operæ non est, cum
ubivis eadem decidendi ratio. Nec singulare quoddam
est in his, qui confugientes ad Ecclesiam extraxerint, quæ
si hi ob nudam cogitationem ultimo supplicio sint affici-
endi, per text. in *L. 6. pr. C. de his qui ad Eccles. confug.* No-
tavimus enim superius *cap. 1. n. 4.* nudam cogitationem
hic non opponi actui exteriori, sed delicti consummationi,
quod ex adjecto vocabulo, contractu sive tractatu ap-
paret.
27. Hactenus de delictis Cogitationum terminos non
excedentibus; Jam si ad actus exteriores processerint,
quid juris, videndum. Ubi formamus Regulam: Cogi-
tationem delinquendi, quæ ad factum exterius delicti con-
summationem respiciens processit, puniendam esse.
Quoti-

CAP. VI. DE DELICT. ET POEN. COGITAT.

Quotiescunque enim, quod mente conceperat delictum, jam opere ipso implere tentat, actum Legi contrarium & in damnum alterius tendentem, suscipit, eoq; ipso poenam facto illicito dignam promeretur. Conatus nomine hōc alioqui exprimunt Jcti, qui quando pro deli^{28.} cto consummato habendus, paucis videndum. Rem verò ita distinguimus: Delictum commissurus seu delinquendi cogitationes ad effectum deducturus, aut noluit delictum consummare; aut non potuit. Priori casu, ut pote si poenitentia ductus, desistat, tunc aut ille Conatus jam^{29.} specialis delicti naturam assumpsit; aut non. Si hoc, obtinebit regula: Poenitentia in delicto nondum consum^{30.} mato, quod tamen consummari poterat, poenam regulariter tollit. Textus elegans est in L. 19. pr. ff. ad L. Cornel. de fals. ubi illi, qui falsam monetam percusserint, si noluerunt delictum consummare, suffragio justæ poenitentiae absolventur: Vid. Carpzov. Pr. Crim. Q. 18. n. 23. sq. Gædd. ad L. 225. ff. de V. S. Si illud, scil. si Conatus jam tū separa^{31.} ti delicti naturam assumpserit, etiamsi fortè aliud delictū superfit patrandum, puniendus erit ea ratione ac merebatur delictum conando jam commissum. Sic adulterium commissurus, si jam tum ad tactus illicitos pervenerit, etiamsi postea poenitentia ductus à delicto desistat nec adulterium consummet, non impunitus discedere debet, ob actus præparatorios per se turpes & inhonestos. Refero^{32.} huc de furto antea allegatam L. 21. §. 7. ff. de furt. ubi qui furandi causa conclave ingressus, de furto quidem non tenetur, de ingressu tamen clandestino injuriarum tenetur. Huc spectat quoque si occisurus vulnerare ceperit, sed poenitentia ductus destiterit, ob vulnerationem, utiq; puniendus Men. A. I. Q. lib. 2. cas. 360. n. 12 Dn. Brunnem. 33. Exerc. 23. ad Inst. tit. 1. §. 8. Farinac Q. 124. n. 33. Posteriori casu

- casu, si delictum consummare non potuit cum voluisset, sed aliunde impeditus fuit, regulariter pari pœna, qua delictum consummatum, conatus est puniendus. *Quoties enim obiectum est possibile, & cœ animi promptitudine & resolutione ex nostris viribus & industria futurum apprehenditur, ut voluntas illud efficaciter intendens, ad executionem illius potentias applicet necessarias; quam executionem predictæ potentiæ revera possunt exercere: toties, si opus externum, ab extrinseco impediatur, æquale nihilominus erit meritum, ac si revera exequeretur, ac expleret opus externum, sunt verba Steph. Fagundez. de l. & i. ad 9. Præcept Decal. cap. 8.*
34. n. 4. *Conf. Covarruv. de Homicid. P. 2. Princ. n. 6. Quamquam Jcti hic distinguant, an impeditus fuerit in actu remoto, ubi extraordinariè; An in Actu proximo; ubi ordinariè puniendus vid. Menoch. d. Cas. 360. n. 14. & 20. Farinac. Q. 124. n. 40. Bartholom. Tægus Tr. Crim. P. 7. n. 3. Rationem verò, quare impedimento extrinseco superveniente, delictum tamen pro consummato haberi debeat, optimam hanc reddit Dn. Ziegler. ad Grot. lib. 2. c. 20. §. 39. quia ex parte agentis delictum pro perfecto habendum, cum, quantum in ipso fuit, nihil planè intermiserit, quominus delictum consummaretur, adeoq; talis conatus principio externo inhibitus, pro actione exercita haberetur.*
30. *Quamvis autem res ita se habeat, universali tamen consuetudine receptum, ut nunquam Conatus, etiam si ad actus proximiores deventum fuerit, pœna ordinaria afficiatur, sed semper mitigari solet supplicium Carpzov. Prax. Crim. Part. 1. Q. 17. n. 13. Farinac. Oper. Crim. Q. 124. n. 78. Jul. Clar. §. fin. Q. 92. n. 1. Tiracquell. de pœn. temper. Causs. 37. n. 3. Job. Gœd. ad d. l. 225. n. 9. Pœna enim cum damno ex delicto oriundo commensuranda; hinc quia delicto*

CAP. VI. DE DELICT. ET POEN. COGITAT.

licto consummato damnum levius est, levior quoq; erit animadversio *Dn. Ziegler. d. l.*

Uti verò, prout ex dictis apparet, Cogitationum in foro exteriori ratio nulla habetur, si ad actum exteriorem non proceserint; Ita è contrario, si actus exterior subsecutus, maximè, in foro quoq; exteriori, attendenda Cogitationes. Optimè enim monuit *Jctus in L. 225. ff. de delicta, Bartholom Tegijs Tr. Crim. Part. 6. n. 1. seqq.* nam non ex proposito semper sed impetu quoq; ac calu damnum datur, quæ omnino distinguenda *L. perspicendum 11. §. 2. ff. de pæn.* Augetur enim malitia actus exterioris, si ex deliberata cogitatione, & seriâ animi destinatione geratur. Quamvis enim aliàs bonitas vel malitia actus ex objecto potissimum deducatur *Job. Azor. Inst. moral. lib. 2. cap. 1. §. 5.* adeo ut electio medii per se mali, nunquam honesta reddi possit ex bonitate cogitationis vel intentionis *Joseph Gibalin. de Scient. Canon. & Hieropol. Tom. 3. lib. 8. Princip. 4. §. 1. 3. n. 35. Azor. d. lib. 2. cap. 5.* Attamen si intentio justa desit, illud quod honestum est aliàs, malum tamen fit, ob malam intentionem *Gibalin. d. §. 3. n. 24. Dn. Sam. Pufendorff. Element. Jurisprud. lib. 1. def. 16. §. 2.* Utrumq; ergo conjungendum, ut de plenaria actus malitia in foro exteriori judicare liceat; unde & fraudis interpretatio non ex eventu duntaxat, sed ex consilio capienda *L. 79. ff. de R. I.* Quamvis enim consideratione naturali actus ejusmodi duo sint, quorum etiam alter ab altero, interior videlicet ab exteriore separari, atq; adeo sine eo esse possit: Consideratione tamen morali unus est actus, cujus sive bonitas sive malitia interiori inhærens exteriorem denominat *Georg. Calixt. Theol. Moral. p. 41.* Et hinc quamvis
L actus

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

actus externus nullam bonitatem vel malitiam formalem addat actui interno, nisi per accidens *Stephan. Fagundes. in Decal. lib 9. cap. 8. n. 1.* attamen ubi de poena infligenda agitur utrumque conjugendum.

41. Inde verò jam apparet, quid sentiendum de illo *Hadriani Imp. responso*: in delictis cogitatio ac Voluntas inspicienda, non exitus. *L. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. 1. §. 3. ff. d. t.*
42. Distinguendum enim puto: an delictum sit voluntarium, an involuntarium. In hoc non exitus inspiciendus, sed voluntas, unde qui sine animo occidendi occidit hominem, homicida tamen non est *d. L. 1. §. 3. ff. d. t.*
43. In delictis voluntariis, sive directè, sive indirectè talibus, distinguendum, an eventus cogitatione felicior fuerit, an infelicior. Illo casu attendenda quidem cogitatio, ita tamen ut ex feliciori eventu prospero, poena sit minuenda, per *L. 2. §. 7. ff. de O. I. Tiraquell. de poen. temperand. caus. 52. n. 1. Prosper. Farinac. Oper. Crim. 2. 89. n. 179.*
44. Et facit huc ratio superius adducta; quamvis enim quantum ad delinquentis animum delictum consummatum sit, cum tamen poenæ æquiparari soleant damno in publicum dato, utique eo minus damnum est, quo felicior fuit eventus; & hinc eo levior poena. Et hoc in homicidio attendi solet, ubi etiam si quis vitæ alterius insidias struxerit graviq; vulnere eundem affecerit, si tamen Medicorum ope & Divini Numinis gratia convalescat, felicior eventus, poenæ mitigationem suadebit. Hoc casu, si eventus infelicior, magis exitus quam voluntas & cogitatio inspiciuntur. Etiam si enim directò id non cogitaverit delinquens, tamen sufficit, per indirectum id voluisse vel cogitasse; Hoc enim casu, ubi in re illicita quis versatur, perinde est cogitare ac cogitare debere; imputet enim sibi, quod in re illi-

CAP. VI. DE DELICT. ET POEN. COGITAT.

re illicita volens versatus fuerit. Recepta enim hic Dd. opinio est: quod dans operam rei illicita, teneatur de o. 46
 mni eò, quod sequitur præter illius intentionem & voluntatem, si eventus facile cogitari potuerit, addo, debuerit. *Carpzov. Pract. crim. P. 1. Q. 17. n. 24.* Unde qui saltem animo cogitavit, se vulnerare velle, si præter intentionem 47
 occidat, à poena homicidii immunis non est, sed perinde habetur, ac si ab initio occidere voluisset. *Anton. Gomez. Var. resolut. Tom. 3. cap. 3. n. 17. & 18. Dn. Brunneman Exerc. 21. ad Inst. tit. 27. §. 7. in fin. Carpz. Pr. Cr. Q. 1. n. 28.* quod 48
 & in aliis casibus obtinebit, ubi præter intentionem ac cogitationem ejusmodi eventus sequitur, qui ex facto voluto per se, non per accidens sequi poterat. Quæ enim per accidens sequuntur in illa nullo modo fertur voluntas, nec directè nec indirectè. *Didac. Covarruv. ad Clem. 1. Si furiosus de homicid. P. 2. pr. n. 2. vers. Tertiò* quanquam ob illa quæ per accidens sequuntur, à poenâ extraordinariâ non eximatur delinquens.

Prolixius hæc deduci, & plurimis, quæ dicta, exemplis declarari possent, verum quoniam præcipua jam adducta 49
 sunt, ex quibus cætera decidi facile possunt, brevitate causa ad finem properamus, si id saltem Coronidis loco subjecerimus; An qui cogitat se delinquere, cum tamen non delinquat, pro delinquente sit reputandus? Exemplum in furto adest, si quis credat, se rem invito domino 50
 contrectare, cum tamen Domino volente fiat: Et deciditur in §. 1. de Oblig. quæ ex delict. quod furtum non fiat, hoc scil. effectu, ut inde furti actio detur; Aliàs enim ratione cogitationis illius, qui rem contrectat, dubium non est, quin furtum factum sit; quorsum traho L. 46. §. pen. ff. de furt. Quod si tamen quis alii Svasor extiterit, ut rem 52
 furto

furto subtraheret, & sibi traderet; Ille verò volente domino ré auferat, & alteri tradat, furti actio cōtra persvadentem locum habebit. Nec enim seriò consentiebat Dominus, nec malum ejusmodi consilium debebat esse impunitum. L. 20. C. de furt. Aliud exemplum subjungimus; An cogitans se adulterium committere, cum tamen non committat, adulter sit, & de adulterio puniendus? Exemplum hujus cogitati adulterii recēset in historiis suis selectis Dⁿ. *Harsdorffer* de molitore, qui cum fœmina quapiam de adulterio in certo quodam loco consummando pactus, fœminâ verò uxori negotium exponente, ipsâ uxor mutatis vestibus ad destinatum locum se contulit, ac marito ignoranti semet supposuit, peracto opere discescit maritus, quasi voti sui exasse compos factus, sed nimium quantum delusus; quæritur an ut adulter puniendus? De foro interiori nullum dubium, quin pro adultero reputandus. In foro exteriori, quamvis cogitaverit se adulterium committere, tamen plus valere videbatur, quod in veritate est, quàm quod in opinione: Cum veritas, non opinio in delictis spectetur *Mench.* de A. I. Q. lib. 1. Quæst. 90. n. 27. Verum concedimus quidem, ipsum ut adulterū non esse puniendum, cum eventus non responderit intentioni, & ipso facto adulterium non sit commissum. Dubium tamen, nullum est, quin ob attentatum adulterium extraordinaria aliqua pœnâ sit afficiendus; Similis ratio est in fœminâ, quæ maritum suum in vivis esse cogitans, juveni in pari opinione, ac si viveret maritus, constituto, semet prostituit; Ut ut enim cogitatione ita adulterū committatur, revera tamen non committitur, cum maritus jam mortuus esset; Hinc non adulterii, stupri tamen pœna obtinebit, quæ ob qua-

ob qualitatem cogitationis, quæ majorem malitiam arguit, augeri aliquatenus potest. *Conf. Dn. Brunneman Comment. ff. ad L. 8. de his qui not. infam. n. 3.*

CAPUT VII.
DE
Non Cogitatis.

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| N on cogitatorum etiam habenda ratio. n. 1. | actio generalis. n. 19. |
| Verba contrahentium ad non cogitata non extendenda. n. 2. | A generalibus verbis contrahentes abstineant. n. 20. |
| Juramentum ad non cogitata non pertinet. n. 3. | Specialis transactio non extenditur ad generaliter cogitata. n. 21. seq. |
| Ratio. n. 4. | Quietantia generalis ad non cogitata non extenditur. n. 23. seq. |
| Limit. nisi generaliter de eo cogitatum. n. 6. seq. | Nisi super petitione generali generaliter data. n. 25. |
| Vel nisi de illis cogitatum non sit, que juris sunt. n. 8. | Quando generalis quietantia restringenda. n. 26. |
| Nisi aliquibus jus ignorare permissum. n. 9. | Unde generalis cogitatio colligitur. n. 27. |
| Juramentum ad verisimiliter cogitata extenditur. n. 10. | Quietantia generalis ad captiosa non extendenda. n. 28. |
| Verisimilis cogitatio ex natura actus colligitur. n. 11. seq. | Renuntiatio ad non cogitata non pertinet. n. 29. |
| Transactio non extenditur ad non cogitata. n. 13. | Etiamsi jurata sit. n. 30. |
| Nisi petitis & Decisio generalis sit n. 14. | Renuntiatio ad cogitata in genere refertur. n. 31. |
| Generalis cogitatio sufficit. n. 15. seq. | An casus fortuitos recipiens tenetur ad incogitatos. n. 32. |
| Nisi alter in dolo n. 18. | |
| Quid si petitis specialis. sed trans. | L 3 |

Dd.

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

Dd. pronegativa citantur. n. 33. cogitatos verbis comprehendere. 37.
Affirmativa probatur. n. 35. 34. Quid de casu insolitissimo. n. 38.
Consultius casus cogitatos & in- Conclusio Dissertationis. n. 39.

- C** Olophonem imposituri huic Dissertationi, Materiam ratio exigit, ut de non Cogitatis hoc capite, quaedam subjiciamus; Sæpius enim lites desuper oriuntur, tam in contractibus, quam distractibus, an ad non cogitata fieri debeat extensio. Præmittimus verò generale axioma: Quod verba in quovis actu ad cogitata debeant restringi, non verò ad non cogitata extendi: per *L. Si quis ita 16. §. 3. ff. de testam. tutel. L. Cum Aquiliana 5. ff. de Transact.* quam regulam in jure tutissimam appellat *Seraphin de Seraphin. de Privil. Jurament. Priv. 119. n. 1.* Hanc regulam jam ad Casus speciales applicabimus, indeque inferimus, quod Juramentum ad incogitata non extendatur *Adrian. Gylman. Tom. 4. Symplorem. Part. 1. vot. 27. n. 120. Azor. Inst. Moral. lib. 11. cap. 8. Q. 7. in fin. Berlich. P. 2. Concl. 22. num. 25. Seraphin. de Seraphin. d. Priv. 119. num. 2. Gutierrez. de Jurament. Part. 1. cap. 71. Tiraquell. ad L. Si unquam. C. de Revoc. donat. in princip. n. 170.* Juramentum enim animi interiora declarat, ac veram mentem jurantis ostendit; Mens verò ulterius non extenditur, quam Cogitatio: Non cogitata itaq; uti in mente jurantis non fuere, ita nec juramentum ultra mentem ad illa extendi poterit. *Cardinal. Mantica de tac. & ambig. Convent. lib. 26. Tit. 1. n. 35.* Quorsum pertinet id, quod habent *Dd Juramentum non extendi ad id, in quo deficit consensus Guid. Pap. Decis. 227. Seraphin. d. n. 2.* Consensus verò non trahitur ad ignorata & non cogitata *Card. Tusch. Pract. Concl. lit. C. 6. Concl. 754.* Limitatur verò hoc, quod de juramento ad non

MUNI CAP. VII. DE NON COGITATIS.

non cogitata non extendendo dictum (1.) Nisi generaliter de eo cogitatum fuerit; Non enim requiritur; ut in specie jurans cogitaverit de hoc vel illo jure; Sed sufficit quod in genere cogitaverit *Berlich. d. Conclus. 22. n. 31. Alexand. Tartagn. lib. 6. Consil. 14. n. 27.* Habet enim aliàs juramentum vim specialis renuntiationis, ut hinc de quibus in genere cogitatum, pari jure censeantur, ac si speciatim considerata fuissent; Nemo enim defultoria levitate jurasse, præsumitur, sed potius summâ animi cura, ac pleno judicio (2.) Lim. Nisi agatur de illis, quæ juris sunt, nõ quæ facti. 7. 8. Etiam si enim jurans non cogitaverit, quid jura hoc de casu disponant, attamen huc trahitur juramentũ, ut perinde habeatur, ac si de eo in specie cogitasset, cum ordinariè nemo præsumatur jus ignorare *Alexand. lib. 5. Consil. 133. n. 14.* Et quisq; in dubio actiones suas juri conformasse intelligendus est. Vera ergo manebit regula in his quæ facti sunt non cogitatis, hic enim facilior ignorantia excusatio *Seraphin. de Seraphin. de Priv. Juram. 119. n. 2.* Si tamen agatur de talibus personis, quibus etiam jus ignorare permillum, 9. quales sunt mulieres, milites, rustici; tunc si de lucro captando non agatur *arg. L. 8. ff. de jur. & fact. ignor.* Juramentum ipsorum nec ad incogitatũ juris erit extendendũ *Seraphin. d. Priv. 119. n. 3. (3.)* Lim. Nisi verisimiliter de eo cogitatum fuerit. Communiter enim hanc particulam addunt Dd. ut non quamvis incogitantiam excusatam habeant, sed verisimilem tantũ *Cardinal. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 26. tit. 1. n. 35.* Voco autem verisimilem cogitationem illam, quæ ex natura actus est. 10. Quisq; enim ita actum gerere præsumitur, ac gerere debebat, hinc de hoc verisimiliter cogitasse censendus est. Et huc facit Dd. Regula: Qui jurat actum aliquem, nisi aliud expressim 12.



DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

presum addiderit, illum jurare intelligitur juxta sensum, naturam, & qualitates proprias, quas ille actus habet ex natura sua, & secundum Leges humanas. *Didac. Covarruv. Tom. 1. Relect. ad c. Quamvis Part. 1. §. 4. n. 4. in fin.*

- De Transactione perinde ut de Juramento formari
13. regula potest: Quod Transactio ad non cogitata nō extendatur, ob textum in *L. 5. ff. de Transact. & L. 9. §. 1. ff. eod. Tiriquell. ad L. si unquam C. de Rev. don. Prefat. n. 123. Cardinal. Mantica. de Tacit. & ambig. convent. lib. 26. tit. 6.*
 14. n. 6. *Dn. Brunneinan. Comm. ff. ad d. L. 5.* Attendendum tamen hic; An petitio super qua transigendum, & decisio generalis sit, tunc transactio postea extenditur ad omnes res speciales sub illo genere contentas, etiamsi transigens de illis non cogitaverit. *L. sub pretextu 29. C. de Transact.*
 15. *Dn. Brunneinan Comm. Cod. ad d. l. 29.* Ut enim valida sit actio circa incogitata in particulari sub illa generalitate contenta, sufficit de generalitate fuisse cogitatum & transactum, non facta exceptio particularium *Dn.*
 16. *Hahn. ad Wesenb. tit. de Transact. n. 3.* In dubio enim videtur quis propter verba generalia, in genere cogitasse de omnibus *Tiriquell. ad d. L. si unquam Prefat. n. 120. in fin. Bartol. ad d. L. sub pretextu 29. C. de Transf.* Quæ generalis cogitatio eo magis præsumenda, si uti dictum, prævia generali petitione, de omnibus in genere transactum sit. *E. G. si super hæreditatis petitione conventum, ut omnes & singulæ res hæreditariæ penes possessorem manerent. Hoc*
 18. casu tamen semper dolus alterius excludendus per *L. tres fratres 35. ff. de pact.* Quamvis enim generaliter transigendo de omni specie cogitasse præsumar; non tamen cogitavi me dolo adversarii deceptum iri. Idem obtinebit,
 19. si quidem specialis res petita, generalis tamen decisio per trans

CAP. VII. DE NON COGITATIS.

transactiōnem subsecuta; Nam & hic major decisionis,
 quam petitionis habenda ratio; ut hinc, si generalitas re-
 stringi commodè non possit ad illas res, quæ speciatim pe-
 titæ, eousq; extendenda, quousq; per verissimilè cogitatio-
 nem licet *Dn. Habn. d. N. 3. in fin.* Unde cavere sibi transi-²⁰
 gentes debent, ne utantur verbis generalibus, ne effuso
 sermone in periculum incidant, *L. fin. C. de dot. promiss.*
Cardinal. Mantica. de tac. & amb. Conv. lib. 26. tit. 6. n. 8. Matth.
de Affict. Decif. Neap. 319. n. 3. Paris. Vol. 1. Consil. 20. n. 35.
 Generalitas enim tunc demum restringenda, quando sal-
 va ratione recti sermonis ad petitionem specialem restrin-
 gi potest *Mantica d. r. 6. n. 12.* Quod si verò generalis qui-²¹
 dem petitio sit, sed specialis transactio subsequatur, non tam-
 en extenditur ea ultra suam specialitatem, etiamsi de
 aliis quoque juribus occasione generalis petitionis fue-
 rit cogitatum. Generalis enim cogitatio eatenus effectum
 habet, quatenus quis ad ea, quæ generaliter cogitavit, se²²
 obligare tacitè voluisse præsumitur. Atqui hoc præsumi
 nequit, si voluntatem specialem verbis palam exponat, sic
 enim standum illi, quod ore protulit, non quod mente
 fortè agitavit. *Vid. Mantica. d. l. n. 14. Ludov. Molina de I.*
& I. Tract. 2. Disp. 588.

Eadem quæ de transactiōne dicta, applicari poterunt
 Quietantiam seu liberationem generalem, quod nec²³
 ad non cogitata sit extendenda, per *L. tres fratres 35.*
de pact. Hinc si quis subtraxisset pecuniam alienam,
 iam si ab altero quietantiam habeat verbis generalibus²⁴
 multum prægnantibus conceptam, quia tamen tempo-
 re data quietantiæ alter subtractæ pecuniæ noticiam non
 habebat, nec de ea quietantiam dando cogitabat, salva
 ipsi actio erit *Dn. Brunneinan Comm. ff. L. 35. n. 1. August.*

M

Berous

DISSERT. DE JURE COGITATIONUM.

25. *Berous Vol. 1. Consil. 201. n. 12.* Quod si tamen liberatio generalis seu quietatio data fuerit super petitione generali; tunc ea extenditur etiam ad illa de quibus saltem in genere cogitatum *Jacob Menoch. de presumpt. lib. 3. Pres. 151. n. 2.* Pari modo, uti de transactione dictum, si petitio specialis, sed generalis quietatio, hæc ad specialem petitionem restringenda *Menoch. d. Pres. 151. n. 8.*
26. Sed hoc ita, si quietatio generalis salva ratione recti sermonis ad specificata restringi potest, aliàs enim ad omnia generaliter cogitata extendenda *Alexand. Tartagn. vol. 1. Consil. 46. n. 1. Menoch. d. l. n. 19.*
27. *Natta lib. 1. Consil. 113. n. 1.* Ex amplissimis verò verbis, talis generalis cogitatio præsumitur *Decius Consil. 137. n. 9.* Hinc dans quietationem generalem, videtur generaliter cogitasse de omni justa causa debendi, *Matth. de Afflic.*
28. *Decis. 43. n. 10. in fin.* Bene tamen in hac materia norant Dd. quod in dubio quietantia & liberatio generalis non debeat extendi ad ea, in quibus captio esse possit, de his enim nemo verisimiliter cogitasse præsumendus *L. obligatione generali 6. ff. de pignor. Alexand. d. Consil. 46. n. 8. Schurff. Cent. 1. Consil. 96. n. 3.*
29. In Renunciationibus jurium sibi competentium non dissimilis decisio obtinet; nam & Renunciatio generalis ad non cogitata non extendenda. *Andr. Dalner. de Renunciat. cap. 2. n. 8. Andr. Gail. lib. 2. obs. 98. n. 14. Pruckman Vol. 1. Consil. 8. n. 222.* Incogitatum verò est, quod
30. quis sibi competere ignorat *Wesemb. Vol. 1. Conf. 74. n. 95.* Et hoc extendunt, ut etiam generalis renunciatio jurata ad non cogitata non extendatur. *Dalner. d. cap. 2. n. 18. Menoch. Consil. 37. n. 84. Wesembec. de Consil. n. 58. & 68.* ipsum enim juramentum ad non cogitata non extenditur, uti notavimus *supr. h. cap. n. 3.* Ergo pari modo nec jurata renun-

CAP. VII. DE NON COGITATIS.

renunciatio ; Cum juramentum majorem actui vim tribuere nequeat, ac ipsum habet. Nec obest, quod renunciatio generalis jurata habeatur pro speciali *Bartol. in Autb. Sacramenta puberum n. 16. C. Si ad vers. vendit.* id enim semper intelligendum, modo in genere de jure suo cogitaverit. Nam & in eo conveniunt, quod Renunciatio generalis extendatur etiam ad illa, de quibus quidem in specie non cogitatum, cogitatum tamen in genere *Daln. d. l. n. 20. Rol. d. Valle Vol. 4. Consil. 2. n. 31.* Nam ad incogitata in specie, cogitata in genere bene extenduntur. *Nicol. Everhard. Topic. Legal. Loc. 5. à generalitate n. 10.* Et huc cetera quoque quæ de Transactione & liberatione extendenda diximus antea, referri poterunt.

Ex his jam decidi poterit controversia ; An periculū³² & casus fortuitos in se suscipiens, insolitos, de quibus tempore contractus cogitatum non fuit, præstare teneatur ?³³ Pleriq; Dd. hoc negant per *l. fistulas 78. §. fin. ff. de contrab. Empt. Raubbar. P. 2. Q. 29. n. 19. Sebast. Medic. de Casib. fort. P. 1. Q. 15. n. 2. Job. Lubler. de incend. cap. 2. n. 131.* & quos³⁴ ibi magno numero citat. Intelligunt verò per casus incogitados, casus insolitos seu rarius contingentes, de quibus generaliter renunciando quis cogitasse non censendus. *Sebast. Medic. d. qv. 15. n. 10.* Verum quia jam ante dictum, generalem renunciationem ad illa extendendam esse, de quibus in genere cogitatum ; nil verabit, quo minus idem ad casus fortuitos applicemus. Nam *l. 78. ff. de contrab. Empt.* manifesto pro hac sententia pugnat, ut mirum, eam à dissentientibus pro se allegari ; quod non invitus agnoscit alioqui dissentiens *Oswald. Hillig. in Donell. lib. 16. cap. 3. lit. C. in fin.* Insuper casus fortuitus ordinariè insolitus est ; si enim solitus esset, casus non esset.

M 2

Hinc

DISSERTAT. DE JURE COGITATIONUM.

36. Hinc dicimus, generalem casuum renunciationem validam esse, licet de omnibus in specie cogitatum non sit, modo in genere cogitatum sit. *Bachov. in Treutler. vol. 1. D. 28. th. 6. lit. H. Fachin. lib. 1. Controv. 86. Carpzov. Part. 2.*
37. *C. 37. def. 17.* Quo tamen hæc disputatio evitetur, consultius erit in instrumento Renunciationis exprimere, se omnes casus cogitados & incogitados in se recipere velle.
38. *Anton. Faber. Cod. Sabaud. lib. 4. tit. 41. def. 2. n. 7.* quam si casus sit insolitissimus contraria sententia pro renunciante non iniqua foret. *Carpzov. Part. 2. Constit. 26. def. 8. in fin.* Commissio tamen judicis arbitrio, quid insolitissimi casus nomine veniat. *Menoch de A. F. 2. lib. 2. cas. 80. num. 8.*
39. Pluribus exemplis adhuc hæc declarari possent, adductis aliis materiis, in quibus perinde ad non cogitata actus gestus aut dispositio non trahitur: Verum cum omnia illa eandem decisionem mereantur, quod non cogitatorum ordinariè ratio haberi non solet, nisi certis circumstantiis concurrentibus, quæ ex præcedentibus facili negotio componi possunt, amore brevitatis hic abrumpe zelum, & pro exantlato labore, viribusq; concessis, immortales DEO O. M. dicarar volo gratias, cui Gloria unicus esto laborum.


FINIS.



X2617620

W17





Farbkarte #13

B.I.G.

B. V. ~~A~~ 1671, 9
JURIDICA
E

COGI
NUM

m.
MAGNIFICI JCTO-
RDINIS.

EMIA VIADRINA
SIDE
E STRYKIO,
PROFESS.P.ORDIN.

re suo omni observantia
devenerando,
IO JCTORUM
I. O. R. M. DC. LXXI,
OLITIS.
DISQUISITIONI SUBJICIT
tein/ Brunsvicensis.

ad Viadrum
NESTI. Acad, Typogr.

13
~~A~~

11 1/2

16

